



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.  
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,  
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque  
à Principibus interpositam, ne ...**

**Adarzo, Gabriel**

**Francofurti, 1660**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10517**





M. H. 9A.


Th. 4772.



TESTAMEN

IN MARZO







*Ex legato Celmii Principis Ferdin: ep: Paderb: et Monaster: A: 1673.*

# DICTAMEN

*Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag.*

**FR. GABRIELIS ADARZO**

deSANTANDER,

Episcopi Viglevanensis,

*Ad Interrogata respondens*

*Circa*

*Exclusivam, quandoque à Principibus interpositam,  
ne aliquis in summum Ecclesie Pontificem  
eligatur.*



*Collegij Principis Ferdin: Paderb:*  
FRANCOFURTI,

Impensis Hæredum JOAN. GODOFREDI SCHÖNVETTERI.

Typis Marthæ Kempfferi,

M DC LX

*Ferdinandi Fürstenbergij*

*Collegij G. J.  
Kady 1772*



*Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.*

DICTAMEN

IN GARR... ADARDO

Handwritten text in the middle section.

*Handwritten notes or signatures on the left side.*

*Handwritten text in the lower middle section.*

Handwritten text in the lower section.

Handwritten text at the bottom of the page.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,

D. CASPARI DE  
BRACAMONTE ET  
GVZMAN,

Comiti de Penaranda: Equiti Or-  
dinis Militaris de Calatrava: Commendatori in Day-  
niel: Sac. Reg. & Catholicæ Majestatis à Cubiculis:  
Confilio Statûs & Belli: Præsidi in Regio  
Indiarum: nec non in Regno Neo-  
politano Pro-Regi ac Ca-  
pitaneo Generali.

**V**rbem nostram Cæsare-  
am, *Illustrissime & Excellentissime*  
PROREX, dudum Tuâ  
præsentiâ honorasti, aut  
beasti veriùs; ita enim illam quâ pu-  
blicè  
):(



licè quà privatim devinxisti favori-  
bus, ut singuli, ne ingratitude no-  
tam incurrant, serviendi Tibi occasi-  
onem opportunam exoptent. Mihi  
hæc, quam elabi non patiar, suc-  
currit. Cum enim typis hoc subtile  
& ingeniosum Opus ediderim, cui il-  
lud debeam consecrare non quæro.  
Tibi enim ratione argumenti &  
Authoris: Tibi etiam ratione mei  
deberi nullus dubitem. Author,  
quod mihi constat, Hispanus est: Vir  
totâ Europâ celebris, & in re Eccle-  
siastico-Politica benè versatus. Argu-  
mentum videtur valdè necessarium  
hoc ævo, eò enim respicit, ut sub  
Deo communi non privato, Dei Vi-  
cari-



rium Ecclesiæ Romanæ præficiat, qui  
nec sit Pauli, nec Apollo, sed omnium;  
quoniam qui universis præficitur, non  
his aut illis tantum, sed omnibus pro-  
desse debet. **DICTAMEN** dici vo-  
lui: nam ita clarè & solidè gravem hanc  
Controversiam resolvit, ut nemo con-  
tra calamum strictius sit, nisi & velit  
agere contra dictamen. Sed & ego,  
cujus curâ ac studio prælo & prælio  
committitur, Tuus sum: & ut Tibi  
seiviam, meumque adversus Te ani-  
mum & affectum obtester, nec lo-  
cum omitto, nec tempus: siquidem  
ante annos aliquot Bruxellis (cùm, fi-  
nito Cursu meo philosophico, exi-  
mio Caramueli essem à manibus, i-  
bidem.



bidemque Excellentissima Tua Præ-  
sentia me multoties bearet) præstitis-  
sem lubentius, si non meus è patrio  
meo Belgio in Germaniam discessus  
diuturnam hanc remoram iniecisset;  
quousq; tandem Francofurti ad Mœ-  
num amœna prorsus & oppertuna af-  
fuit occasio, ut ab humanissimæ Tuæ  
Indolis generositate attractus, hanc  
Tibi, qui Politicorum Jubar es, Lu-  
cubrationem politicam consecrarem,  
& ad Excellentia Tuæ tholum in  
meæ erga illam observantiæ mnemo-  
synon suspenderem. Hærent in Mu-  
sæo meo Manuscripta plurima, à  
Theologis eximijs doctissimè exara-  
ta quæ hoc **DICTAMEN** & adfir-  
mant



mant, & promovent; quæ omniâ ju-  
ris publici fecero, si ingenio Tuo ar-  
ridere perspiciam. Illud igitur benignè  
suscipe, & Tuis servis adnumera

*PRO-REX EXCELLENTISSIME*

*PETRUM ESTRU,  
Dixmudanum.*





# TYPOGRAPHUS

Lectori Politico.

**O**bit D. Ioannes Godofredus Schönvvetter, cui Viri Docti debent plurimum: singulis enim annis aere suo multos Iuniorum Libros edidit. Reliquit Manuscripta plurima, quae vnde quaque corraserat, ut prae suis expensis subiceret: & perirent omnino, aut longo haberent tempore, nisi Viduae, Filiorumque diligentia periclitantibus manus darent. Mihi arriserunt illa, quae Eminentissimorum D. D. Cardinalium auctoritatem, & Summi Pontificis creationem concernebant: & inter alia istud, ratione materiae & Auctoris: illa est eminentissima, & à nullo hactenus, quem sciam, discussa; ideòque necessaria Principibus, & Eruditis Viris grata: iste Caesaribus & Regibus charus, & propter alia Scripta Orbi litterario notissimus. Librum igitur hunc summè necessarium pro dubitantium animorum quiete, bene-volè suscipe: & si illum debito honore prosequaris, alios similis argumenti typis meis edendos expecta. Vale.

Dictamen





# DICTAMEN

Ad Interrogata Respondens

circa

*Exclusivam à Principibus quandoque interpo-  
sitam ante Summi Pontificis Ele-  
ctionem.*



Um in negotio Exclu-  
sivæ duo personarum genera in-  
tervenire soleant, Principes sci-  
licet, eam proponentes, & Emi-  
nentissimi Cardinales, favorem  
eidem præstantes: Placuit (cla-  
ritatis gratiâ) de Utrisque seorsim agere: & pri-  
mò de Principibus, à quibus series ortum accipit uni-  
versa: unde duabus Sectionibus Disputationem hanc  
absolvam.

A

Sec̃tio



## SECTIO PRIMA.

Utrum sit licitum Principi Sæculari Exclufivam proponere, ne aliqua determinata Persona Petri Thronum obtineat?

§. I.

*Licet, & expedit Christiano Principi sat agere illum eligi in Summum Ecclesie Pontificem, qui pacem publicam foveat.*

I. **D**ico primò: Licitum est Christiano Principi, maxime habenti Provincias diffitas & non contiguas, diligentiam adhibere per media licita, ut ille in summum Pontificem eligatur, qui toto pectore pro Pace publica incumbat, quæ mediâ vasalli sui quietam, ac tranquillam vitam ducant.

Probatur Conclusio: nam licitum est unicuique providere sibi de medijs necessariis ad sua conservanda: atqui præcipuum medium, ut Princeps conservet suas Provincias, est pax publica: ergo licet &c.

Tunc



Tunc ultra; sed Romanus Pontifex, pacem inquirens est medium maximè conducens ad eam inter Principes Christianos stabiliendam, & conservandam: unde Dominicus de Soto super cap. 12. epist. ad Roman. (quem sequuntur P. Franciscus Suarez disp. 13. de Bello. sect. 2. §. 23. & 24. & sect. 4. §. 33. & Castro Pallao tract. 6. de charit. disp. 5. puncto 2. num. 6.) dixit vix dari bellum justum inter Christianos Principes (intellige de bello aggressivo, non de defensivo) cum adsit medium sufficiens in Ecclesia ad eos componendos circa suum interesse, nempe Romanus Pontifex, quippe qui ad id habet auctoritatem, quàm Pater communis, & facultatem, quàm Princeps nobilissimus inter temporales: ergo licitè poterit Princeps satagere, quantum in se fuerit, ut ille Petri thronum obtineat, qui de publica Ecclesiæ pace sit futurus sollicitus.

Dixi in conclusione, *per media licita*, quia secundum omnes Doctores, non sunt facienda mala, ut bona eveniant.

Dixi, *maximè habenti Provincias dissitas, & non contiguas*, quia in talibus facilius oritur perturbatio, si adest qui vasallos sublevet; cum Principis præsentia, quæ eos in debita obedientia posset continere, juxta illud Spiritus Sancti *Proverb. cap. 20. Rex in intuitu suo dissipat*

A 2.

pat



pat omne malum, sit moraliter impossibilis ob Provinciarum distantiam & discontinuationem. Qua de causa Princeps, qui sic habet Provincias suas, majorem curam debet adhibere, ut ille in Pontificem eligatur, qui ut verus Ecclesiae Pater, sit sollicitus de pace inter Principes stabilienda & conservanda, mediaque disponat, quibus Regna in fuorum Principum obedientia consistant.

2. Dico secundo, non modo hoc est licitum Principi Christiano, sed etiam ad id tenetur jure naturae; item ex justitia, ex fidelitate, & ex charitate.

Probatur Conclusio, nam ea, quae competunt jure Naturae, & ea quae jure gentium injunguntur alicui, non sunt pure concessiva, & facultativa, sed etiam praecipiva, ut docent Suarez, *lib. 2. de legibus cap. 18. Lorca 1. 2. disp. 7. de legibus. versic. quidam vir. Greg. Martinez, de legibus quest. 95. art. 4. Dubio unico, versic. quinta etiam. Pascualigius, Tomo 2. de doct. morali. disput. 84. Sect. 2.* Sed jure naturae & jure gentium injunctum est cuilibet Principi promoveri bonum publicum sui Regni, illudque defendere, ut notum est: Ergo ad illud promovendum tenetur Princeps.

3. Confirmatur autoritate S. Thomae. 2. 2. quest. 40. art. 1. in corp. ubi haec habet verba. *Cum autem*  
cura



*cura Reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet Reipublicam Civitatis, Regni, seu Provincia sibi subdita, tueri, ad quæ verba Doctissimus noster Zumel, Salmanticensium Decus, Tractat. de justit. Question. 17. dub. 2. dixit in manuscriptis: pluribus titulis hoc spectat ad Principes, & graviter peccant omittendo, &c. Vide plura alia (& quidem pulchra) apud Zeballos, de cognitione per viam Violentia, Glossa 5. à numero 21. è quibus numer. 43. deducit ut legitimam, istam Consequentiam, Potest Princeps propulsare malum à subditis, ergo tenetur illud propulsare. Sed hoc magis roborabitur discurrendo per singulos titulos, de quibus in conclusione n. 2.*

Et inprimis, quod Princeps ad id teneatur ex 4. justitia, probatur: nam cum Regia dignitas officium sit concessum in bonum Reipublicæ sibi creditæ, cap. Regum officium, 23. quæst. 5. Arist. lib. 8. moral. cap. 10. & 11. D. Thomas de Regim. Principum cap. 6. & 11. debet Reipublicæ Princeps omnes suas operas, ut subditi quietam & tranquillam vitam agant, non secus ac œconomus illas debet Patrono: vnde Apostolus, 1. ad Timot. cap. 2. ait, obsecro vos fieri orationes pro Regibus &c. ut quietam, & tranquillam vitam agamus: quasi à Principis cura plena vitæ tranquillitas subditis eveniat: quorum (Teste Arist.) Reges servi sunt coronati. Hac de causa Principes apud Deum tene-



rentur, cum latrones suspendunt, homicidas, & seditiosos plectunt, ut docet D. Thomas *lect. 2. super cap. 3. epist. ad Rom. ibi*, non solum est licitum, sed etiam meritorium Principibus qui Zelo justitiæ vindictam exercent in malis, quia scilicet operantur ex obligatione sui officij, ad quam ex Justitia tenentur. Vide Petrum Hurtado, *disput. 169. de B. llo. sect. 5. §. 41.*

5. Quod verò ex Fidelitate ad id teneantur Principes: Probatum; nam Reges in sua coronatione sub juramento vovent, quòderunt solliciti de bono publico: ergo vel negandum est Pacem esse maximum Reipublicæ bonum, contra illud Silij Italici

*Pax optima rerum,*

*Quas Homini novisse datum est.*

Vel concedendum Principem ex fidelitate teneri ad illam totis viribus promovendam. Vide Fufcum, *Tractat. de visit. cap. 32.* Simanchas *de Repub. lib. 9. cap. 15. & 16.* Fragosum *1. p. lib. 5. disp. 12. num. 87.*

6. Quod denique ex charitate ad id ipsum teneantur Principes, suadet: quia Princeps habet se ad Rempublicam, cui præest, veluti anima ad corpus, teste Seneca *lib. 1. de clement:* Item veluti civis, etsi nobilior, ad concives, teste Plutarcho *in Annibale:* Sed anima ex charitate, & justitia debet corpori victum, somnum &c. tanquam media pro sui conservati-



servatione, juxta Basilium *in Breviorib. Regul. regul.*  
 128. Ricard. de S. Victore *de externis malis, tract. 2. cap. 7.*  
 S. Thomam 2. 2. *quest. 146. art. 1. ad 3. & quest. 147.*  
*art. 1. ad 2.* ergo. Præterea civis ex charitate, huma-  
 nitate, & societate civili debet concivibus sedare  
 lites, discordias componere, pacem inquirere, quâ  
 omnes bene se habent, ex Chrysoftomo *homil. 24. ex*  
*Varijs: Immo si potest, & negligit, videtur injuriantem fovere,*  
*ac esse participem culpæ ejus, cap. cum dilecto Filio, de sent. ex-*  
*communicat. lib. 6.* ergo Princeps, qui est velut anima  
 Reipublicæ, & nobilior Civis in ea, tenetur ex  
 charitate ponere omnia media pro Civium, & Rei-  
 publicæ conservatione: atqui electio Pontificis pa-  
 cem publicam inquirentis, & persequentis est me-  
 dium maximè conducens ad publicum bonum, jux-  
 ta dicta, numer. 1. ergo tenetur Princeps ex Justitia,  
 fidelitate & charitate satagere, ut ille eligatur in  
 summum Ecclesiæ Pontificem, à quo pax publica,  
 maximè suarum Provinciarum, sperari possit:  
 quod erat intentum secundæ  
 nostræ conclusionis,



*Tenetur Princeps sollicitus esse, ne eligatur ille, de quo prudenter timet Pacem publicam profligaturum.*

7. **D**ico tertio (& infertur ex dictis) etiam tenetur Princeps diligentiam apponere, ne ille eligatur in summum Pontificem, de quo prudenter timet, quod pacem publicam sui Regni profligabit inthronizatus. Conclusio hæc tradit illam præcautionem, ad quam Rectores tenentur ex Cicerone 1. *Offic. or.* & ex Ambrosio *lib. 1. de officijs, cap. 88.* quamque D. Thomas 2. 2. *quest. 49. art. 8.* extendit ad omnes homines, & dicit esse partem integram prudentiæ, & quod per illam vir prudens *sic eligit bonum, ut simul vitet malum: vel, ut docet in solut ad 3., vitat mala, aut facit quod minus noceant.* Vide Angelicum Præceptorem.

8. Probatur ergo Conclusio irrefragabili auctoritate S. Thomæ 2. 2. *quest. 40. art. 1. in corp.* ubi, postquam docuit devinctos esse Principes sua Regna tueri, subdit, agendo de defensione eorumdem adversus Boni publici perturbatores, *Et sicut licet defendunt Principes ea materiali gladio contra interiores perturbatores, dum malefactores puniunt, ita etiam gladio bellico ad eos pertinet*  
Rem-



*Rempubli- cam tueri ab exterioribus perturbatoribus. Vnde Principibus dicitur in Psalm 81. eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Ergo secundum D. Thomam incumbit Principibus sua Regna tueri, non solum ab interioribus perturbatoribus, sed etiam ab exterioribus, id est, à non subditis: Ergo sicut tenetur punire subditos perturbatores pacis publicæ, ita similiter tenetur punire perturbatores non subditos gladio bellico, si prudenter iudicat eos suarum Provinciarum perturbatores: In præsentiarum autem gladius bellicus est Exclusiva, per quam impeditur perturbator ne fiat potentior adversus pacem publicam Regnorum Principis: & dare Exclusivam de illo, est eripere & liberare pauperem Rempubli- cam ab insidijs, seu à manu peccatoris.*

Secundò probatur conclusio ratione: ille, qui tenetur apponere media pro obtentione alicujus finis, tenetur etiam eodem ipsissimo jure remove impedimenta contraria obtentioni finis, ex Arist. *l. b. 3. magnor. moral.* Vnde oritur quòd Christianus eo jure, quo tenetur ad excolendas virtutes cadentes sub præcepto, eodem jure tenetur vitare peccata, quæ obsunt earumdem virtutum prosecutioni: quia scilicet, non solum debet *eligere bonum, sed etiam reproba- re malum.* Ergo cum summus Pontifex ratione suæ

B

magnæ



magnæ jurisdictionis temporalis, & incomparabilis potestatis spiritualis, multum præponderet, si in hanc vel illam partem inclinaret, belli scilicet aut pacis, concordiæ aut discordiæ; sequitur quod Princeps præveniendò mala sui Regni, teneatur satagere, ne ille eligatur in summum Pontificem, de quo prudenter timet, quòd suo Regno erit nocivus, bella excitando, aut discordias fovendo.

10 Tertiò probatur Conclusio à paritate rationis: Nam si impugnatio electionis factæ de aliquo Officiali Republicæ est licita, & competit cuilibet de Republica; quia singuli de ea sunt Interesse habentes, ut docent Geminian. Felinus, Avendaño, Azevedo, Burgos de Paz, Matienzo, Bobadilla, quos sequuntur Barbosa, cap. circa, de elect. in 9. n. 12. Lezana consulto 13. n. 2. & 4. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 50. n. 35. Ergo potiori jure Princeps, qui majus Interesse habet in pace publica sui Regni, poterit licitè, imò tenebitur, si potest (ut diximus num. 2. & 3.) opponere electioni, ne fiat de eo, quem prudenter timet nocivum fore paci publicæ sui Regni.

11 Dixi in conclusione, *pacem publicam sui Regni*, quia Princeps ad suos ligatur specialissimis titulis, nempe justitiæ, fidelitatis & charitatis, ut vidimus à num. 2. & deinceps: & per hoc non nego, imò affirmo, quòd Princi-



Principes, quos eisdem vinculis ligatos Ecclesiæ reperimus, teneantur satagere, ne ille eligatur in Pontificem, de quo prudenter timent pacem Ecclesiæ fore profligaturum.

Dixi præterea in Conclusionem, *si prudenter timet*, 12 quia si voluntariè, leviter vel absque urgente causa id faceret, illicitè faceret: & malignitate potius duceretur, quàm justitiâ, fidelitate & charitate.

§. III

*Quæ gignere valeant prudentem timorem, quod aliquis Inthronizatus Paci publicæ sit futurus adversus?*

SED emergit statim difficultas, quando scilicet 13 Princeps prudenter vereri poterit de aliquo Eminentissimo Cardinale, quòd si Pontificatum obtineat, infensus erit paci publicæ suarum Provinciarum? Quæ difficultas ab ipso Principe, qui Exclusivam repræsentat, evacuanda erat: quippe qui benè novit causas & motiva sui timoris: ut tamen meo muneri satisagam, aliquas apponam generales causas, si quarum fortassis una in facti sit contingentia. Moneo tamen, sic utique à me omnia dicenda, ut



nullum præjudicium pariant Principibus, quando minus callens de eorumdem Principum publico Interesse infirma aliqua, aut infirmè valida proposuero.

14. Sed antequam descendam ad designanda Motiva prudentis suspicionis & timoris, præmittere oportet, ex communi sententia Doctorum, quòd ad formandum judicium firmum, & sine temeritate concipiendum de improbitate alicujus, requiruntur & sufficiunt judicia talia, quæ moralem certitudinem generent: seu judicia, quibus ut plurimum malum illud, de quo judicium fecimus, soleat esse connexum, etiamsi, metaphysicè loquendo, res aliter possit evenire. Ita Sotus *lib. 3. de Justitiâ, quæst. 4. art. 3.* Reginaldus *lib. 24. num. 21.* Tannerus *2. 2. disp. 4. de Justitiâ, quæst. 3. nu. 22.* qui id optimè probat ex doctrina D. Thomæ *2. 2. quæst. 60. artic. 3. ad 1.* & postquam ipse Tannerus citat *num. 47.* Valentiam & Aragon pro hoc ipso, dicit *num. 49.* tale judicium esse laudabile, si fiat ex fine honesto. Quibus ego addo præcipuè id habere locum, quando agitur de damno vitando ab eo, cui id ex officio incumbit: pro quo videndus est D. Thomas, *2. 2. quæst. 60. art. 4 ad 3.*
15. Nec refert, quòd in similibus judicijs aliquid dubietatis interveniat: Non, inquam, refert; Tum quia



quia, ut inquit benè Sotus citatus, *in moralibus parum prohibitis reputatur*: Tum etiam, *quia in actibus humanis* (verba sunt D. Thomæ 2. 2. quæst. 70. artic. 2. in corpore) *super quibus constituuntur iudicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quòd sint circa contingentia & variabilia: & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.* Ponderentur hæc verba pro infra dicendis.

### MOTIVUM PRIMUM.

*Damnum Paci publicæ antea illatum, nullâ pro eo factâ compensatione.*

**I**N primis poterit Princeps prudenter esse suspectus 16  
 Ideo illo, à quo pax publica passa est damnum, absq[ue] exhibitione alicujus compensationis.

Probatur ratione: nam ex præteritis fit prudens iudicium de futuris, quia, ut optimè Aureolus *Quodlibeto* 14. art. 4. (sequutus D. Thomam 2. 2. quæst. 29. per totam) iudicium prudentiale habet tres actus sibi adminiculares, nempe *re. ordinationem de præteritis, advertentiam presentium & coniecturam de futuris*: & hoc est conformiter ad Aristotelem, qui 6. *Ethicorum* cap. 8. dixit, quòd prudentia innititur experimento præteritorum, *quia ex præteritis, ait, ut plurimum licet statuere*

B 3 . . . . . quid



quid in posterum. Et ex hoc principio *lib. 1. Metaphys. capite 1.* concessit similitudinariam prudentiam animalibus, quibus inest memoria præteritorum. Et Plato *lib. 2. de Legib.* censuit multum esse deferendam Prudentiæ Senum; eò scilicet, quòd plurima sint experti: & comparantes præsentia præteritis, si non necessariò, verisimiliter coniectantur, quòd res quæq; evasura sit. Ergo ex damno præterito prudenter Princeps timebit futurum.

17 Secundo suadetur veritas hujus Motivi; nam Spiritus Sanctus in *lib. Sapient. cap. 8.* sic nos mortales docet, *si quis desiderat multam sapientiam habere futurorum, sciat ille præterita: & per præterita faciet de futuris æstimationem, & veritas sermonum cognoscet; & perspiciet monstra, antequam fiant, & eventus temporum & seculorum, &c.* Quid clarius? Prudenter igitur timere poterit Princeps ex damno antea suis Provincijs illato futurum imminens, & illud aliò divertere quoquo modo licitè poterit. Reddit præterea Spiritus Sanctus causam & rationem prædictæ monitionis suæ, dicens in *lib. Ecclesiastes cap. 1.* eam esse, quia, scilicet futura ferè semper eveniunt ut præterita: Unde interrogando, *quid est, quod erit?* respondet, *ipsum quod fuit*, quasi evacuando omnem difficultatem pro formando prudente judicio præcautionis in posterum. Ergo prudentissimè Princeps  
erit



erit suspectus, & timere poterit de illo Eminentissimo Cardinale, qui in minoribus constitutus pacem publicam fuit profligatus, & suis Provincijs infensus: quòd si Petri solium ascenderit, id ipsum prosequetur, & continuabit, abutendo temporali potestate, quia *siururum est illud, quod fuit: & quia semel malus semper &c.*

Nec valet dicere; Elapsi jam sunt plures dies, ex 18 quo abstinet ab infidijs. Non, inquam, valet: Tum quia potuit suspensio nocendi provenire ex impotentia: & si Thronum ascenderit, cum eo ipso fiat potentior, magis tunc infidiabitur; nam

*Non comedit, devorat canis ille famelicus escam.*

Vel si non laboravit impotentiam, forsan laboravit astutiam, & cooperuit similtates pallio moderationis, ne ei essent obstaculum ad exaltationem, quod est frequens: unde illud,

*Fallacia alia aliam trudit.*

Quòd si hæc dubia extiterint, extra dubium tamen est Spiritum Sanctum intimasse cordatis in sui præcautionem, *ante languorem adhibe medicinam. Ecclesiast c. 18.* nulla autem dari potest in præsentiarum securior medicina præservativa, (de Præservativa namque loquitur Spiritus Sanctus) quàm conari per Exclufivam  
tem-



tempore oportuno adhibitam (nempe ante languorem, quando agitur de electione) ne languor publicæ pacis eveniat.

19 Dixi numero 16. in propositione Motivi, à quo pax publica passa est damnum absque compensatione, quia secundum D. Thomam 2.2. quæst. 40. art. 1. in corpore, defectus compensationis pro damno illato Reipublicæ, est causa sufficiens, ut possit, immò ut debeat Princeps bello plectere damnificatorem: Ergo potiori jure dicemus esse causam sufficientissimam, ut Princeps sit de damnificatore suspectus, tanquam de inimico sui Regni, dum damni illati non dedit compensationem.

20 Ratio autem hujus resolutionis est: quia qui damnum intulit, dum illud non compensat, ipsa non compensatione damnificat, & in damnificatione, invito Domino, perseverat: unde secundum omnes Doctores licitum est cuilibet adversus talem Damnificatorem, non compensantem, aut compensare nolentem, bellum agere recuperativum seu reparativum.

MOTI



## MOTIVUM SECUNDUM.

*Habere Consanguineos, & Affines bella gerentes in perniciem Cause Publice.*

Secundò poterit Princeps prudenter esse suspectus, & timere de eo qui habet consanguineos, seu affines adversus se dimicantes: aut alios juratos sui inimicos. Sed antequam motivum istud probem,

Primò suppono id, quod omnibus notum est, videlicet Summum Ecclesiæ Pontificem, ratione suæ temporalis ditionis Principem agere potentissimum, valereq; ad auxilium militare præstandum, non minus ac primores Reges.

Secundò suppono, extare opinionem probabilem gravissimorum Authorum, dicentium posse aliquem absque injustitia bellum suscipere in favorem consanguineorum, immò & amicorum confœderatorum, nihil judicando de justitia belli: qui dicunt, sufficere quòd non constet de injustitia: vel ad summum, quòd non subeat dubium circa illam. Ita Cajetanus 2. 2. quest. 40. art. 1. ibi, *advertente quod quia amici, & socij unum censentur, ideò justa causa indicendi bellum est pro ubi- tione sociorum, & amicorum;* id ipsum tenet Petrus Navarra de Restitut. lib. 2. cap. 3. par. 2. dub. 1. 2. num. 260., subscribit Salas 1. 2. quest. 21. Tractat. 8. sect. 26. numer. 272.

C

Wigers



Wigers 2. 2. *quest.* 40. *artic.* 1. *dub.* 3. *num.* 50. & Tanne-  
rus 2. 2. *diffut.* 2. *quest.* 6. *num.* 50. ubi attestatur doctissi-  
mum Franciscum Suarez Romæ hanc docuisse sen-  
tentiam.

- 24 Hac de causâ sæpè vidimus Principum ac Dy-  
nastiarum matrimonia sub pacto expresso celebrari,  
quod causæ familiarum contrahentium debeant ha-  
beri uti communes. Ex quo oritur quod Principes  
frequenter sumunt arma in favorem affinium suorū,  
nil præmeditantes de justitia belli; nā hæc considera-  
tio incumbit ei, qui bellum principaliter gerit. Ita  
Suarez *diff.* 13. *de bello*, *sect.* 6. *num.* 12. Granados. 2. 2.  
*controv.* 3. *de charit. tract.* 3. *disp.* 4. *num.* 17. qui ad hoc pro-  
positum adducit bellum Abrahami in auxilium Lo-  
th consanguinei sui, adversus quatuor Reges, *Genesis*  
*cap.* 14. & foedus Machabæorum cum Romanis, *lib.*  
1. *Machabæorum cap.* 8. Quibus prælibatis,
- 25 Probo jam quod Princeps possit esse prudenter  
suspectus & timere de eo, qui habet consanguineos,  
seu affines bellum secum gerentes, aut alios inimicos  
sui juratos; nam de tali prudenter judicatur, quod si  
in thronizeretur, auxiliabitur consanguineis in pernici-  
em sui regni. Ergo. Antecedens probatur: nam pru-  
denter præsumitur de quolibet, quod faciet illud,  
ad quod naturaliter inclinatur, præcipue si crediderit,
- scad.



Sead illud exequendum habere facultatem, tam physicam quàm moralem, id est, pecunias & securitatem conscientiae: sed sic est, quòd ad præstandum auxilium consanguineis quilibet inclinatur, & casu quo quis inthronizetur, iudicabit, & quidem rectè, se ad illud conferendum habere facultatem, tum physicam, id est, pecunias & manum armatam, juxta suprà dicta *num. 22.* tum etiam moralem, id est, securitatem conscientiae, ut vidimus *num. 23.* & *24.* etiamsi possit seduci circa facultatem moralem, cum non omnia, quæ licita sunt privatae personae laicae, expediant personae publicae, maximè Ecclesiasticae. Sed de hoc infra. Ergo.

Minor verò, quoad illam partem, quòd scilicet <sup>26</sup> quilibet naturaliter inclinatur ad præstandum auxilium consanguineis bellantibus, probatur; nam caro & sanguis trahunt homines in partialitates, & non sinunt eos neutraliter consistere. Hoc unico motivo Cives Sichen inducti fuere ut abirent post Abimelech Tyrannum, & suppetias ei darent ad Principatum violenter obtinendum: *considerate*, dicebat Sichimitis Abimelech, *quòd os vestrum, & caro vestra sum.* Judic. c. 8. ubi ponderare licet, quàm Tyrannus fiderit de vi & vinculo Consanguinitatis ad Sichimitas post se trahendos, ut dixerit, *considerate*, quasi affirmans se nolle



eos sibi auxiliares præcipitanter, & sine consilio: sed post profundam & altam sui debiti perpenſionem ex vinculo confanguinitatis orti. David quo urgebat Filios Juda, ut venirent post se, dicens; *Fratres mei vos*, 2. Reg. cap. 19. Immò ipse David compulsus fuit armare contra Jæbuseum audito vinculo confanguinitatis sibi objecto à Filiis Israel, quando eum ad confœderationem militarem provocabant: *congregatus est igitur omnis Israel ad Dav. d, dicens, ostium sumus & caro tua*, Paralip. lib. 1. cap. 11. Tanta est igitur vis confanguinitatis, ut illa sola reputetur causa justa bellandi, pro sibi sanguine junctis: & potentissima ad provocandum confanguineos, bellicosque auxiliares reddendos. Cùm ergo hæc ita sint moraliter certa, prudenter Princeps timere poterit, quòd si inthronizetur ille, qui habet confanguineos seu affines bellum adversus se gerentes, aut sui alios inimicos manifestos, auxilium eis, pro bello, præstabit in damnum sui Regni.

*Solutio apponitur, & ut insufficiens rejicitur.*

27 **R**espondebis, esto, verum fit, supradicta concludere moraliter, adversum illum, qui antea auxilium præstiterat confanguineis quietem Regni perturbanti-



bantibus, & consequenter, quòd de tali possit Princeps prudenter vereri, quòd ad apicem Apostolatus assumptus id ipsum validius exequetur: tum quia plus virium ei ex ipsa assumptione accrevit: tum etiam *quia semel malus, &c.* Sed unde locus, ut concludant contra eum, qui nunquam consanguineorum Machinis consensit; nec eorum arma consilio, auxiliove fovit? deficit namque fundamentum, ad prudenter præsumendum de eo, quod assumptus insidiabitur Principi: & consequenter, motivum desumptum ex eo præcise, quòd quis habeat consanguineos inimicos Principis, non videtur sufficiens ad gignendum prudentem timorem de ipsius futura in Principem. hostilitate.

Sed contra; nam etiam in isto casu datur locus prudenti præsumptioni de futura ejus ( si inthronizetur ) hostilitate: & consequenter datur locus præcautioni, ad quam Princeps tenetur. Quod sic ostendo Primò, nam cum versetur in negotio præcautionis, & hæc non postulet, ut effectus præcavendus semper, & necessariò eveniat: sed sufficit, quod ut in plurimum contingat, ut supra ex doctrina S. Thomæ ostendimus, *num. 15.* & ex alia parte constet, consanguinitatem ut in plurimum causam esse sufficientem, auxilium dimittantibus conferendi, ut videre est à *num. 23.* sequitur quod Princeps prudenter possit vereri quòd Cardinalis

C 3 post



post assumptionem auxilij, quod antea non præstiterat, præstabit: Secundò; quia non præstitisse antea auxilium, potuit provenire ab astutia & sagacitate politica, quâ Cardinalis continebat intra sinum simultates, ne se in in detrimentum proderent ambitionis, & obstaculum parerent assumptioni: sed casu quo talis inthronizaretur, absque dubio tunc caro & sanguis inciperent facere, quod suum est, & semoto obstaculo antea retardante, exequetur illud omne, in quod naturaliter inclinabitur. Repete dicta à numero 25.

Tertiò; quia quod dicitur de Cardinali, sc. quod antea nunquam partialis exitit ad consanguineos: dato quòd hoc non provenerit à sagacitate, & astutia, potuit provenire ab insufficientia & impotentia: nam ut optimè ex Aristotele notavit Aureolus, *Quodlib. 8. abstinentia à malo sæpè evenit ab insufficientia abstinentis*, & ideò Spiritus S. magnificat illum, *qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala, & non fecit*, Ecclesiast. cap. 31. Ex quo sequitur, quòd semel ablatâ insufficientiâ, prudenter timeatur eventura *non-abstinentia*: Cum autem per ascensum ad Pontificatum auferatur omninò *insufficientia* nocendi, & superveniat facultas damnificandi; fit consequens quòd prudenter Princeps possit esse suspectus de eo, qui habet consanguineos, bellum in ipsum exercentes, quòd auxilium præstabit inthronizatus, etiamsi antea

id



id non præstiterit, quia per coronationem transiit  
à statu *insufficientie*, ad statum *sufficientie*, in quo nun-  
quam existerat ante.

Quartò; quia dato quod abstinentia nocendi 30  
antecedens non provenerit ab impotentia, nec ab  
astutia: adhuc est locus præcautioni & timori, quod  
in thronizatus fiet consanguineis partialis: Quod sic  
suadeo; nam, ut in plurimum, & ferè semper ille  
assumitur in Pontificem, quem morum honestas,  
longæva experientia, litterarum ornatus reddunt ve-  
nerabilem Orbi: & cum hæc in senibus præcipuè in-  
veniantur, senes ferè semper assumuntur. Tunc sic:  
sed senes ob debilitatem naturæ, illam unam præci-  
puè patiuntur infirmitatem (inter alias communes,  
deplorandasque misérias) videlicet, quòd cum ra-  
tionis vires, non minus quàm corporis tunc elangue-  
ant, quasi jam non sint sui juris, sed alieni, non jam  
agunt, sed aguntur; non jam se movent, sed moven-  
ter (etiam nolentes) ad nutum voluntatis aliorum,  
præcipuè consanguineorum, ut experientiâ com-  
pertum est.

Facit ad hoc illud Christi, *Ioan. cap. 20. cum autem  
senueris, alius cinget te, & ducet, quo tu non vis*: Nolo di-  
cere, quod Christus huc respexerit prædictis verbis,  
sed contendo ex eis intentum roborare; dum Chri-  
stus



istius Dominus sub symbolo de senectâ facile mobile, expressit resignationem animi S. Petri, circa mortem per martyrium subeundam, analogiâ deductâ ab Homine in senectâ constituto, qui facilis est moveri post imperium & Ducatum alterius.

Hac de causa Macharius Abbas, *in monit. ad Abb.* ait, *carreat Abbas ne à sibi ministrantibus gubernetur: sed reassumat vires & renovetur velut Aquila juventus ejus, ut presit, qui ad hoc est electus à Domino &c.* Ecce Macharium subodorantem Seniorum Abbatum futurorum imperium flexibile pro votis ministrantium sibi: quippe qui benè noverat flexibilitatem hanc Senibus esse communem.

31 Ex quibus hanc infero illationem; ergò dato quod Emin. Cardinalis nunquàm in negotio belli partialis extiterit ad suos, adhuc Princeps prudenter timere poterit, quòd si inthronizetur, trahetur, & ducetur ad nutum Consanguineorum: ergò si consanguinei extiterint inimici Principis, tenebitur Princeps, consulendo bono publico Regni, præcavere, & satagere ne inthronizetur ille, quem scit à consanguineis huc illuc esse trahendum (etiam nolens) pro mensurâ sui odij, vel Interessis. Patet hæc ultima consequentia, quia ex officio incumbit Principi vigilare pro pace publicâ, & præcavere mala  
Regno



Regno imminetia, adhibendo ad hoc omnem  
possibilem præcautionem licitam, & prudentem.

Addo, quod si Princeps omiserit hanc præcau- 32  
tionem, quam semel necessariam judicavit pro bo-  
no publico, non solum peccabit contra justitiam  
legalem, contra fidelitatem, & contra charitatem  
juxta dicta supra: sed etiam tenebitur ad restitutio-  
nem omnium eorum, in quibus Respublica (si casus  
evenerit) damnificabitur: Ita expressè Tannerus  
2.2. disp. 4. de just. quest. 6. dub. 2. à num. 70: post Valētiā,  
2.2. quest. 5. puncto 4. conclus. 3: Emanuelem Saa, verbo  
restitutio: Vasquez 1.2. tomo 2. disp. 175. cap. 1. Lessium  
de just. lib. 2. cap. 13. dub. 10 & ratio colligitur ex dictis,  
quia scilicet tenebatur præcavere cap. dilecto, de sent. ex-  
commun. c. lib. 6.

*Dua Objectiones soluta.*

**O**bjicies primò, inexcusabile videtur à culpa, 33.  
quòd Princeps excludat Cardinalem, etiam si  
certò sciat eum præstiturum fore auxilium consan-  
guineis: sicut supponimus ex num. 23. adest proba-  
bilis opinio, quod sit licitum illud præstare. Ergo.

Respondeo, quod multis honestatur. Primò, 34:  
quia divertum est jus Principis à jure Cardinalis;

D

& cum



& cum Principi incumbat prospicere bono publico Regni, sequitur quod possit honestè & licitè agere contra Cardinalem operantem in sui damnum, etiamsi Cardinalis absque peccato id faciat. Exemplum est in Prælato prohibente in opinione probabili aliquid subdito, quod subditus aliàs licitè facere posset protectus opinione etiam probabili: item in adultero in vaso à marito, qui illum prævenit, ut se defendat; cum tamen maritus absque iniustitia contra adulterum ageret, protectus autoritate publicâ ei concessa.

35 Secundò excusatur, quia non est idem jus Titii post assumptionem ad Pontificatum, ac erat ante assumptionem: multa namque ei antea licebant, quæ post non licent: nam Titius ad Pontificatum assumptus debet Ecclesiæ ex justitiâ sollicitare totis viribus pacem ejus: vnde auxilium præstare consanguineis ad bellum aggressivum, jam est Titio illicitum post assumptionem: quia actus iste auxiliandi repugnat cum obligatione, quam de novo subit, consentiendo electioni; dum ex auxilio præstito post assumptionem, magis turbaretur pax publica Ecclesiæ, ad quam procurandam speciali, & novo jure tenetur post assumptionem (excipe casum, quo ex tali auxilio præstito prudenter speretur pax pu-



pax publica certò futura) opinio autem, quæ licitum facit auxiliari consanguineis bellantibus, procedit in casu, quod id non sit alio jure prohibitum; unde deficit in jam assumpto, qui jure naturæ tenetur, ex justitia pacem Ecclesiæ sollicitare immò

Addo, quòd in casu, quod ex tali auxilio prudenter speraretur pax Ecclesiæ certò futura (in quo liceret illud præstare, ut dixi) tunc licentia auxiliandi non proveniret ab illa opinione *num. 23.* posita: sed ex obligatione justitiæ, quâ quicumque assumptus tenetur pacem procurare Ecclesiæ, & consequenter ponere omnia media pro ea obtinenda; & quia in illo casu prudenter judicaretur esse mediũ condu- cens ad pacem publicam auxiliari consanguineis bellantibus, ob hoc liceret (immò esset laudabile) auxilium tale præstare, & non ob aliam rationem. 56

Tertiò honestatur Exclusio ratione indecentiæ, quæ esset in hoc, quod Titius assumptus auxilium bellicum ministraret (dato & non concesso, quòd ei liceret) nam videtur omnino indecens, quòd Pontifex, qui est pater fideiũ, se gereret ut inimicus eorũ, & discordias seminaret, quas debebat sopire, & filios ad concordiam, & pacem attrahere. Ob hanc solam indecentiam disposuit Ecclesia, & prohibuit multa Ecclesiasticis (quæ aliàs erant licita) quia scilicet non 57



decebant statui eorum, & reverentiæ debitæ Sacramentorum administrationi, *cap. ne Clerici, vel Monachi, in 6*: Item ex hoc motivo statuta est irregularitas ex defectu lenitatis. Unde D. Thomas, 2.2. *quest 40 art. 2. in corpore*, inter alia mirabilia hæc habet, & propter hoc (scilicet propter significationem sui ministerij) est institutum, ut Clerici effundentes sanguinem, etiamsi sine peccato, sint irregulares: & in solutione ad 3. ait, non interdicitur eis bellare, quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum personis non congruit. Et ad 4. inquit, quòd licet exercere bella justa sit meritorium, tamen illicitum redditur Clericis & Episcopo (de eo namq; procedebat argumentum) qui sunt ad opera magis meritoria deputati. Ergo ex mente S. Thomæ, etiam si bellare ex causa justa, non sit peccatum, nec illicitum, immò possit esse meritorium, quia tamen non congruit Statui Pontificio, ideò illud fuit Episcopo interdictum: Ergo si esset moraliter, quod Titius inthronizatus dabit consanguineis militare auxilium, quod omninò indecens statui Pontificali foret (etiam si absque culpa posset aliàs fieri, quod summo Parenti spirituali repugnat, sed admittimus pro nunc) meritò deberet excludi, ne inthronizatus agat adversus statum sui decentiam.

38 Objicies secundo (& potest esse replica contra solutionem) esto sit quod Princeps licitè possit fatagere



fatagere ne inthronizetur ille, de quo prudenter timet quod inthronizatus &c. sed non apparet, qua de causa ad id faciendum teneatur Princeps in conscientia: immò videtur, quòd possit diligentias omittere absque culpa: quod sic ostendo: nam nullus tenetur in conscientia vitare impedimenta, quæ non proximè, sed tantum remotè obstant, & repugnant adimpletionem præcepti: de quo adest probabilis opinio; sed cōsanguinitas non est proxima causa bellandi in favorem consanguineorum, sed tantum remota; ergo Princeps non tenetur illam vitare, & cōsequenter non tenetur diligentiam apponere ut non inthronizetur Titius, de quo prudenter timet quod inthronizatus &c. Unde etiam si admittatur, quòd non peccabit Princeps adhibendo diligentiam: propter indecentiam status Pontificij, non sequitur quod ad diligentiam adhibendam teneatur: multa namq; sunt nobis licita ad quæ nullatenus tenemur.

Respondeo negando, quod consanguinitas non sit proxima causa bellandi, quando in contractu matrimonij pactum explicitum præcessit de suppetiis mutuò præstandis, ut sæpè contingere inter Principes, dixi: sed admissio, quod non præcesserit de hoc expressa conditio, & pactio, sufficit ut consanguinitas æstimetur proxima causa præliandi, experiri



frequenter consanguineos sibi mutuo pro bello  
 suppetias dare : nam in moralibus considerantur  
 negocia secundum quod contingunt frequenter,  
 & ut in plurimum, etiamsi possint aliquando non  
 contingere, ut docet D. Thomas 2.2. *quest. 70. art. 2.*  
*in corpore* : cuius verba dedimus, numero. 15.  
 Dixi, *experiri frequenter consanguineos*, &c. ut non trade-  
 rem doctrinam generalem ; quia non raro etiam  
 experimur, quod si proprium ac publicum eorun-  
 dem Principum interesse emergat, Frater tunc insur-  
 get in fratrem, & prælium gerit protectus jure natu-  
 ræ (sic namque publicant Scripturis) ut se defendant,  
 vel ut sua redintegrent & recuperent.

40 Opinio autem illa excusans ab obligatione  
 aufferendi impedimenta quæ remotè & non proxi-  
 mè obstant executioni præceptorum, procedit &  
 loquitur de impedimentis contra præcepta posi-  
 tiva & humana: non de impedimentis contra præ-  
 cepta naturalia : nam secundum omnes Docto-  
 res debent vitari impedimenta etiam remota, quæ  
 obstant præceptis naturalibus : & de hoc nullus  
 unquam dubitavit, ut notat Palao. *tom 1. tract. 3. disp. 1.*  
*punct. 21. num. 2.* & Doctores prædictæ opinionis  
 hoc non diffitentur, ut videre est apud doctissimum  
 Ioannem Angelum Bosium, qui *tomo 3. varior. moral.*  
*titulo*



titulo 9. num. 19, & II obligat Parochum, judicem, & Governatorem Reipublicæ ad vitanda impedimenta remota, obstantia executioni suorum officiorum, eo præcise quòd eorum obligationi sit de jure naturæ: Cum igitur Princeps jure naturæ sit obligatus bono publico Regni & præcautioni contra malum erimminens, fit consequens quod teneatur vitare impedimenta, etiam remota, obstantia quieti publicæ Regni: Unde dato, quod consanguinitas non esset proxima causa bellandi, sed tantum remota, cum obstet quieti publicæ Regni, ad quam jure naturæ Princeps tenetur, sequitur quod Princeps sit obligatus eam vitare, satagendo ne eligatur, & roboretur, qui consanguineos habet adversus se præliantes.

### MOTIVUM TERTIUM.

*Habere inquietum animum, & deditum seminare discordias.*

**T**ertio poterit Princeps esse suspectus de illo Eminentiſſimo Cardinale, quem certò moraliter scit habere animum inquietum, ac deditum seminare discordias. idque certò timere prudenter poterit, cum



cum non amplexurum pacem publicam, immò profligaturum, sub quolibet prætextu apparenti, & quæsito. Detali namque nemo dubitabit quod inthronizatus validius id ipsum exequetur.

Primò, quia *quod à natura inest, semper inest*, secundam Aristotelem *lib. 6 moral. cap. 13.* secundò, quia in posterum *iderit quod fuit antea*: consule dicta, num. 7. Tertio denique, quia juxta Regulam 8. juris, *qui semel est malus semper, præsumitur malus*; quæ intelligitur in eodem genere mali; & quamdiu emendatio non potest ex indiciis colligi. Videatur Glossa ibi: & Barbosa *axiomate 142. num. 3. & 4.* & Layman *sect 5. cap. de judicio temerario.* Quæ regula maximè habet locum, quando agitur de damno vitando, ab eo, qui illud vitare tenet, ut docent communiter Doctores: ergò. Sed de hoc motivo latius in sectione sequenti, ubi præsentia Ecclesiæ mala aperiemus, & ponderabimus, deducendo ex eis, quis in hac tempestate dignus, indignusvè eligi, & dici debeat.

### MOTIVUM QUARTUM.

*Moralem Causam extitisse Bellorum.*

43 **Q**uartò denique, poterit Princeps prudenter esse suspectus & timere, quod pacem publicam fugabit



fugabit ille, qui bella ante, aut consilio nutrit, aut  
præce non interdixit, cum posset: & hoc maxime  
habet locum in eo, qui aliquando extitit minister  
publicus ex primis, in Pontificatu, sub quo bella  
ope aut permissione Pontificis excrevere.

Nam prudenter præsumetur, quod in throni-  
zatus ea ipsa operabitur, quæ vel approbavit, vel præ-  
cticari vidit in minoribus constitutus; Ergo. Antece-  
dens, quoad partem approbationis, est certum ex  
dictis num. 16. & 17: & toto motivo præcedenti.

Quod si non approbavit: sed practitari vidit 44  
Minister primus existens, &c. sufficit, ut prudenter  
præsumatur, eum post id ipsum facturum: nam  
teste Claudiano, si mala

*in vulgus manant exempla Regum,*

præcipue in Ministros primores, quorum assensu  
ferè omnia fiunt, emanabunt.

Hoc vno motivo Juvenalis retrahebat à crimi-  
nibus Parentes, lib. 1. Satyr. 14: dicens

*Abstineas igitur damnis hujusce, etenim vel  
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur  
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis  
Turpibus, ac pravis omnes sumus.*

E

Sed



45 Sed melius S. Hieronymus epist. ad Lætam loquens De Alexandro, *difficulter (inquit) eradicatur, quod rudes animi imbiberunt. Græca narrat Historiam Alexandrum potentissimum Regem, & in moribus, & incessu Leonidis Pedagogi sui, non potuisse carere vitijs, quibus adhuc parvulus fuerat infectus.* Hæc S. Hieronymus capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, Cant. cap. 7. Sed ut quid parvulæ, & non majores, quæ dubio absque vineas fuere demolitæ? si electionem sequamur illorum, qui demolientur vertunt, benè consultum videtur; nam est præcautio in posterum contra parvulas: at cum vulgata legat de præsentibus, *demoliuntur*, videtur quod solum vulpes parvulæ nocumentum intulerint: Dubium solvit Eruditus Mag. Fr. Alphonsus Remon mei ordinis, in postillis ad Cantica, ibi dicens, *Remedium est provisorium in præcautionem vinearum, ne vulpes parvulæ demoliantur post; nam majores hoc fecerunt, à quibus parvulæ, quasi de octe participatione naturæ, haud dubiatur quin id ipsum faciant & ad denotandam certitudinem, utitur verbo de præsentibus demoliuntur: sed alij verterunt demolientur, quo planior redditur sensus: optimè ad intentum.*

46 Enutritus secus pedes Pontificis belligerosi, & qui ratione ministerij, quod gerebat, poterat rogare Pontificem, quæ ad pacem erant Jerusalem, & non rogavit: si thronum ascenderit ita instructus  
id;



id ipsum faciet, quod practicum vidit; ideo demoliuntur de presenti, quia certum moraliter est, et si futurum. Capiatur igitur dum est vulpes parvula (nam in thronizatus non poterit) ne bellis demolatur vineam Domini Sabaoth. Eadem est enim ac naturæ, disciplinæ conditio, & quod à Parente didicit, certò faciet, cum augmentum per coronationem acceperit.

Nec subsistit, si dicas; bellicæ illæ machinationes, quibus Titius interfuit, cum ab omnibus non fuerint approbatæ, immò à multis reprobatae extiterint, non est cur timeatur, quod Titius eas ut imitandas acceperit.

Non, inquam, subsistit; quia (suppositâ proclivitate naturæ ad malum) fortior vis inest operibus majorum, quam verbis, ad Homines post se trahendos: intantum ut secundum D. Thomam, etiamsi majores ipsi opera ab se facta damnaverint, minores potius imitabuntur eorum facta, quam sectabuntur doctrinam. Hoc discursu Angelicus Doctor 1.2. quæst. 34. art. 1. in corpore, convincit Philosophos damnantes, ut malas omnes delectationes, & dicit, *si illi, qui docent, omnes delectationes esse malas, deprehendantur aliquas delectationes suscipere; magis Homines ad delectationes erunt proclives exemplo eorum; (Verborum doctrinam prætermittam)*

E 2

in ope-



*in operationibus enim, & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla, quam verba.*  
 Nil ergò refert, quòd bellicæ illæ machinationes, quibus Titius interfuit, à multis fuerint reprobatae, si admissio, quòd etiam ipse machinator eas speculativè reprobaverit, adhuc vim habeant juxta D. Thomam, ad trahendum post se minores. Prudenter igitur Princeps vereri poterit, quod Titius, qui in minoribus constitutus, bellicis interfuit machinamentis, in thronizatus ea similiter practicabit.

## §. IV.

*Illationes pro licità interpositione  
 Exclusivæ.*

48. **I**nfertur Primò ex præassignatis motivis, licitè posse Principem apponere media licita, & decentia ne in thronizetur Titius, de quo prudenter timet, certò moraliter futurum insidiatorem pacis sui Regni: immò quod consulendo paci publicæ, & commodo subditorum, ad quod tenetur, debeat in conscientia id facere.
49. Infertur secundò quòd licitè possit Princeps, immò quòd teneatur, facere Exclusivam de Titio, propter dicta immediate ante.

Sed



Sed antequam ad probationem harum illationum descendam, præmittere oportet, quid sit ista Exclusiva: quod breviter faciam, quia Sectione sequenti latiùs explicabitur.

*Exclusiva* ergo nihil aliud est, quàm repræsentatio de inidoneitate alicujus personæ ad summum Ecclesiæ Universalis Pontificatum, cum causis, & motivis illam inducentibus, facta sacris Electoribus per ministros Principis Exclufivam dantis: Seu, est propositio & explicatio nomine Principis facta sacris & Eminentissimis Electoribus, de damnis imminentibus bono publico Ecclesiæ sanctæ ex alicujus determinatæ personæ inthronizatione ob causas à se expositas; Hæc de Exclufivæ descriptione.

Minister autem, ut sui Principis zelum pro bono publico Sanctæ Ecclesiæ explicet, urbanè & cum demissione significat, Vota ejusdem esse, ut ille, quem nocivum proposuit, non eligatur, sed alius dignissimus, qui toto animo pro bono publico invigilet, videlicet pro unione, & concordia Christianorum Principum: pro vitiorum extirpatione, Hæreticorum depressione, Fidei propagatione, ac dilatatione. Quæ omnia cum sint maximè expedientia, & utilissima Ecclesiæ sacrosanctæ (pro cujus majori commodo Christiani Principes debent esse



solliciti, uti Filij, Defensores & Protectores) licite  
& laudabiliter pro eis Eminentissimos Patres exora-  
bunt. His suppositis,

1 Probo jam illationes positas, num. 48. & 49<sup>a</sup>  
ex doctrinâ D. Thomæ 2.2. *quest. 70. art. 1. in corp.* ubi  
docet, cum, qui novit delictum alicujus, vergens  
in notabile damnum tertij, *teneri facere quod in se est, ut ve-*  
*ritatem denunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse:* Et in solu-  
tione ad 2. argumentum inquit, *quòdea, quæ pertinent*  
*ad damnum multitudinis, tenetur quilibet manifestare, vel testifi-*  
*cando, vel denunciando.* Ex quibus sic conficio argu-  
mentum. Non solum est licitum cuilibet de Republi-  
ca facere, quod in se est, ut malum, quod scit immi-  
nere Reipublicæ, avertat: sed etiam ad id tenetur,  
secundum D. Thomam: Ergò potiori Jure Princeps  
Christianus tenebitur ad id ipsum erga Ecclesiam,  
cujus filius, defensor, & protector existit. Tunc sic:  
sed medium ad vitandum malum Ecclesiæ immi-  
nens ex alicujus determinatæ personæ inthronizati-  
one est Exclusiva: ergo ad eam tenetur Princeps:  
Minor probatur; nam secundum D. Thomam, me-  
dium, ad quod quilibet tenetur, est denuntiatio, &  
manifestatio damnificatoris, testificando de damno  
ei, qui ad illud removendum possit prodesse: Sed  
Exclusiva testificat, & deponit de indigno & nocivo,  
repræ-



repræsentando Sacris, & Eminentissimis Electori-  
bus, qui solum prodesse valent pro damno everten-  
do, mala Ecclesiæ imminentia, ex Titij inthroniza-  
tione: ergò licitè, immò debitè, & laudabiliter  
Exclusivam. Principes interponent ad beneficium  
Ecclesiæ.

Videatur Cajetanus *ad articulum 1. dictæ quest. 70.* Soto *lib. 5. de just. quest. 5. art. 1.* Navarrus *in Enchirid. cap. 18. num. 54.* Reginaldus *lib. 24. cap. 3. sect. 6. num. 55.* Qui *num. 57.* benè notat, crimina de quibus procedit doctrina, non debere esse notoria; quia etiam si secreta sint, & occulta, dummodò tamen inferant damnum publi-  
cum, & in illud vergant, sufficit ut instet obligatio, ea denunciandi: ut Hæresis proditio, crimen Laesæ Majestatis &c. quæ semper summo secreto peraguntur: Omitto nunc plura alia ad favorem Exclu-  
sivæ, dicenda post solutionem argumentorum, ut in loco magis proprio;

§ V

*Vindicatur ab impugnationibus Exclusiva.*

SEd contra illationes: §. 4. *num. 48. & 49.* arguitur 51  
sic: Etiam si demus licitum esse Principi seculari  
diligentiam apponere ne eligatur in Pontificem ille,  
de quo



de quo prudenter timet, quòd pacem publicam profligabit; non tamen permissum, & licitum est ei, dare Exclufivam, ergo: Antecedens probatur: nam Exclufiva videtur medium illicitum, cùm peccet in multis: Ergo. Antecedens probatur ex obijciendis.

*Quod Exclufiva non inquinetur temeritate Iudicij.*

**P**rimò peccat Exclufiva temeritate iudicij, nam tota fundatur in præfumptione de improbitate exclusi, & de nocumento ab ipso Ecclesiæ inferendo: sed iudicium hoc est illicitum, utpote contra iustitiam. Vnde D. Thomas 2.2. *quest. 60. art. 4.* docet, quòd etiam si aliquando existant rationes aliquæ dubitandi de improbitate alterius, debemus ex iustitia interpretari eas in meliorem partem ad favorem Personæ: Ergò.

54 Respondeo distinguendo minorem, si iudicium esset temerarium, concedo quòd esset illicitum: si verò iudicium sit prudens, nego quod sit illicitum: Tunc autem iudicium de improbitate alicujus est prudens, quando scilicet indicia de improbitate, ipsa se produnt & manifestant. Vide Azorium

*tom.*



tom. 3. lib. 13. cap. 11. dub. 3. Layman *sect. 5. tract. 3. p. 2 cap. 2.*  
 quod est, *de iudicio temerario*: Tannerum, *disp. 4. de just.*  
*quest. 3. num. 49.* qui allegat Valentiam, & Aragonium:  
 Et ratio hujus doctrinæ est, quia quando indicia  
 improbitatis ipsa se produnt, proximus amittit jus  
 existimationis suæ, respectu illius, cui improbitas  
 sufficientibus indicijs est cognita: Et ideo Princeps,  
 qui, ut supponimus, ex validis motivis de improbi-  
 tate Titij, format iudicium prudens de ea, nullatenus  
 facit contra justitiam: & semel formato dictamine  
 prudenti de improbitate, tenetur ex justitia, & ex  
 charitate adhibere media, ne illius improbitas bono  
 publico noceat. Videatur Molina *de just. tract. 4. disp.*  
*14.* Lessius *lib. 2. de just. cap. 29. dub. 4.* Layman loco cita-  
 to, *num. 4. in fine*: Reginaldus *lib. 24. num. 29. versu Tertium*  
 documentum: Tannerus *disput. 4. de just. quest. 3.*  
*num. 49.*

Nec est contrarius D. Thomas citatus in argu- 55  
 mento, nam apertè loquitur in casu dubij, quando  
 scilicet indicia talia sunt, quæ solùm generent judi-  
 cium dubium, & leve: at iudicium præcedens exclusi-  
 vam, non est dubium, sed certum moraliter, utpote  
 quod oritur ab indicijs ita vehementibus, ut cogant  
 prudentem quemque ita judicare: Unde iudicium  
 ex quo oritur Exclusiva, licitum est, utpotè prudens:

F

Nec



Nec à D. Thomâ reprobatur loco citato ut illicitum, sed solum reprobatur iudicium quod fuerit dubium, leve, & temerarium.

Sed dato & non concessio, quod iudicium formatum à Principe de improbitate Titij exclusi, non esset ita firmum, & prudens; & quod aliquam pateretur moralem dubitationem: adhuc posset Princeps prudenter, & licitè ex eo moveri ad interponendam Exclusivam Titij. Ratio est, quia agitur de damno vitando: In isto enim casu, secundum D. Thomam & omnes Doctores, expedit dubia in deterio- rem partem accipere: & supponere illud, quod est deterius, ut possit esse præcautio contra malum imminens, & ei occurratur. Verba D. Thomæ sunt hæc: *Ad Tertium dicendum, quod interpretari aliquid in deterio- rem partem contingit dupliciter: Uno modo per quandam suppositionem: & sic cum debemus aliquibus malis adhibere remedium (sive nostris, sive alienis) expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod deterius est, quia remedium, quod est efficax contra majus, multò magis est efficax contra minus malum: Hæc D. Thomas; & quid clarius? Cajetanum etiam audiamus, scio, inquit ibidem, quòd quoad actum cautela & remediij, omnia sunt supponenda in pejo- rem partem: & loquitur Cajetanus sicut D. Thomas, de eo, cui incumbit occurrere malis immi-*



imminentibus, ut est Princeps respectu Ecclesiæ & Reipublicæ.

Ex quibus omnibus duo inferuntur juxta doctrinam D. Thomæ: vnum est quod Exclusiva non sit contra justitiam, quia judicium eam præcedens de improbitate Titij exclusi, fundatur in indicijs sufficientibus gignere judicium prudens, & certum moraliter de ejus improbitate. Alterum est, quod dato casu, quod indicia non essent ita vehementia, & certa moraliter, sed dubia: Possent nihilominus Princeps (cui ex officio incumbit occurrere malis imminentibus, remedium eis apponere, & agere de damno vitando) supponere id quod deterius est, interpretando dubia in deteriorem partem, ut securius valeat occurrere malis. Hoc facit Princeps per Exclusivam, videlicet occurrere malis, ergo dato quod Princeps in præcautionem, & ut remedium apponat, dubia in deteriorem partem interpretentur, licitè id faceret: & D. Thomas docet, *expedire*, ut sic faciat.

Exemplum communiter afferunt Doctores quod benè rem declarat, & est hoc; habeo aliqua indicia, nec certa, nec levia, dubia tamen, de eo, quod Joannes sit fur: possum ego licitè in isto casu, ut occurram damno meo, claudere ei ostium domus



meæ, ne ingrediatur & furetur quæ mea sunt; & in hoc nullam planè facio Joanni injustitiam, quia licitum est mihi præcavere damno meo, interpretando dubia in deteriorem partem, ut remedium apponam malo mihi imminenti, & ei occurram, juxta doctrinam S. Thomæ citatam *num. 56.* Si ergo ne damnificer in furto pallij, aut alterius rei familiaris, possum licite claudere Joanni ostium domus meæ, ne ingrediatur, & furetur pallium, existentibus indicijs dubijs tantùm de eo, quòd ipse sit Latio, & ad hoc sic præcavendum, possum tutâ conscientiâ dubia in deteriorem partem interpretari. Cur Principi habenti indicia non dubia, sed certa moraliter, de improbitate Titij, non erit ei licitum, in præcautionem damni communis, sollicitare & procurare, mediante Exclusivâ, ut ei ostium ad Pontificatum occludatur, ne introgressus cuncta publica Ecclesiæ dissipet, perdat & evertat?

*Quòd Exclusiva nullam faciat Injustitiam  
Excluso.*

59 **S**ecundò peccat Exclusiva contra justitiam, quia infert damnum excluso, contra justitiam, præcipuè in casu, quo Titius dignior excluderetur, ut potest accidere: Ergo. Antecedens probatur, quia



quia Exclusiva, quantum in se est impedit ne eligatur, privando eum jure, quod ad id habebat: Ergo. Argumentum hoc tangit punctum de digniore, & petit examen & discussionem, quis dignior dici debeat? de quo sectione sequenti: Sed nunc

Respondeo Primò, Principem non excludere digniorem neque dignum: sed inimicum Pacis publicæ. Non enim spectat ad Principem judicare de meritis eorum, qui debent, & possunt eligi, quia non est Elector, & solum gaudet officio Defensoris Ecclesiæ, & Protectoris suarum Provinciarum, sibi à Deo creditarum: & ratione muneris istius incumbit ei proponere, & conari ne eligatur ille in Pontificem, de quo prudenter judicat certò moraliter futurum exterminatorem pacis publicæ, in perniciem Ecclesiæ, maximè sui Regni.

Respondeo secundò, repugnantiam esse in terminis, quòd sit dignior Pontificatu Titius exclusus ob animi inquietudinem, & privatas confœderationes ad eos, qui bellis Ecclesiam vexant, & contristant: nam vox ista *dignior Pontificatu*, est vox relativa ad utilitatem Ecclesiæ, cui est præficiendus electus, ut sectione sequenti explicabo: unde hîc & nunc ille tantum erit dignior, qui in Ecclesiæ pacem (cæteris parib. & suppositis supponendis) fuerit magis propensus.



Sed de hoc latè sectione sequenti.

61 Respondeo Tertio, Principem per Exclusivam non privare Titium jure aliquo, q̄ restitutionē exposu-  
let; quia obligatio restituendi solum oritur ex violati-  
one justitiæ commutativæ, non ex violatione justitiæ  
distributivæ, ut supponunt Tannerus 2.2. disp. 4. de just.  
quest. 6. dub. 1. nu. 20. versu nec etiam. Layman lib. 4. sect. 5.  
tract. 2. cap. 7. num. 2. post Adrianum, Sotum, Cobarru-  
bias, Navarrum, Valentiam, Toletum, Saa, Lessium  
& Gutierrez, locis à Layman citatis & expressè traditur  
etiam à Martino de Ledesma. 2. p. 9. 18. v. secunda con-  
clusio: Mercado de contractib. lib. 6. cap. 17. versu, y así dicen:  
Rebellus de obligation. just. 1. p. lib. 3. quest. 3. Dignior  
autem tempore Exclusivæ nullum jus habet, ob cu-  
jus violentiam oriatur obligatio restituendi ex justiti-  
a. Quod sic ostendo: nam imprimis non habet jus  
ad rem, cum oriatur ex ipsa electione, secundum  
omnes Doctores: Præterea, nec habet jus in re, quia  
istud consurgit ex possessione (& in nostro casu  
habetur ex consensu, & acceptatione electi, subsequuta  
ad electionem) quæ nullo modo concurrunt in dig-  
niori excluso, tempore exclusionis: quo tempore  
solum habet dignior (ut rectè dixit P. Suarez lib. 4. de Relig.  
cap. 50. num. 29.) idoneitatem, quæ licet aliquando sufficiat ad jus  
ad rem, pertinens ad justitiæ distributivam, tamen illud non est  
proprie jus (quia scilicet non obligat ad restitutionem)  
sed que-



sed quedam proportio persone cum tali munere. Hæc Suarez; & est optimum simile in Artifice maximè dextero, & habile ad aliquod opus, qui ex habilitate nullum jus acquirit ad præmium pro opere faciendo destinatum, usque dum cum effectu tale opus efficiat.

Vnde consequenter prædicti Doctores docent, <sup>62</sup> quod casu, quòd excluderetur ille, qui in veritate est dignior, & esset facienda restitutio; tunc restitutio non deberetur excluso digniori, sed Ecclesiæ, vel communitati, cui infertur præjudicium per exclusionem dignioris. Videatur Tannerus, num. 2. Est optimum exemplum illud, quo utitur Sotus lib. 4. de just. quest. 6. art. 3. in solutione ad 6. arg. in examine sententiæ Cajetani ubi sic habet: *si enim Paterfamilias Æconomum suum conducere operarios, mitteret: ill. autem studio conduceret eos, qui non essent ad opus idonei: restitutione profectò teneretur, non idoneis, quos prætermisit, sed Domino, cui damnum dedit:* & concludit Sotus, quem sequitur Tannerus, dicens hoc esse de communi mente Doctorum: Videatur etiam Cajetanus, *tomo 2. opuscul. tract. 9. quest. 3. versiculo,* quoad Tertium: ubi cum D. Thomâ docet, redemptionem vexationis in consecutione Beneficij, non habere propriè locum ante jus acquisitum, mediante electione.

Ex quibus apparet, quod Exclusiva nullo jure  
privet



privet exclusum digniorem ( etiamsi malignitate interponatur, & repræsentetur ) ita ut inducat obligationem restituendi.

- 63 Addo, quòd nec privatur exclusus potentiâ, quam habet, ut eligatur: nam sunt ita validæ preces Principis, ut cogantur Sacri Electores non eligere, quem voluerint, etiam reluctante Principe excludente: unde repræsentatâ Exclusivâ facta tectâ sunt omnia exclusi, ut possit eligi. Et dato, quòd preces Principis essent efficacissimæ; adhuc non privatur exclusus jure ( si quod habet ) ad passivam vocem: nam hoc jus tantum consistit in potentia ad eligi: Exclusiva autem non eò respicit, ut potentiam destruat ad eligi: sed solum impedire conatur ipsum eligi actuale: & cum possint esse simul carentia electionis passivæ ( ad quam tantum dirigitur Exclusiva ) & potentia ad eam, ut patet in omnibus, qui possunt eligi, & non eliguntur: sequitur quòd Exclusiva non auferat excluso potentiam ad eligi: & solum impediât actualem passivam electionem.

*Quod*



*Quod Exclusiva non presumat ingredi  
Electionem.*

**T**ertio peccat Exclusiva temeratione sacrilegâ: 64  
nam agit de electione Pontificis: ergo illicita  
est Principi sæculari. Consequentia probatur, quoni-  
am nil frequentius in sacris Canonibus, quam in-  
terdicere Principibus, & sæcularibus cunctis, ne se  
ecclesiasticis electionibus intromittant: Ergo.

Respondeo Exclusivam non ingredi electio-  
nem determinatæ personæ: immò nec versatur circa  
electionem alicujus vagè sumptæ: sed tota subsistit  
ante electionem, & agit de eo, quod est prævium  
electioni, nempe de remotione indigni, ne eligatur.  
Cum autem remotio indigni fit præparatio viæ ad  
electionem de digno, sequitur quod Exclusiva non  
ingrediatur electionem, nec attingat terminos ejus,  
sed omninò eam antecedit. Nec facit positivè Exclu-  
siva prædictam præparationem viæ, sed solùm nega-  
tivè, quia nihil ponit positivè ad electionem de digno,  
sed obstaculum removendo (quod est de genere  
negativi) viam parat ad ejus electionem. Sacri autem  
Canones toti sunt in arcendo sæculares ab ingressu  
electionis positivæ; non enim permittunt, quod

G

suffra-



suffragium pro electione conferant ministrorum Ecclesiæ: benè tamen gaudent, quod sæculares viam præparent expeditam pro electione digni, removendo scilicet indignum ab electione: de quo latè sectione sequenti, & nunc aliquid ex praxi Ecclesiæ subjicio.

65 Sæculares nunc admittuntur ab Ecclesia, pro ferendo testimonio de vita, & honestate eligendorum: sed hoc est admittere sæculares ad Exclufivam de indigno, & ad præparandam viam negativè pro electione de digno: ergo. Antecedens constat ex Pontificali Romano, titulo de Ordinatione Præbyteri, ubi in monitorio ad Populum & Plebem, hortatur Laicos, ut circa vitam, & mores ordinandorum, testimonium ferant. Verba sunt hæc: *Itaque quod de eorum actibus (nempe Diaconorum ad Præbyteratus Ordinem promovendorum) aut moribus noveritis, quid de eorum merito sentiatis, libera voce pandatis, & his testimonium tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat: haftenus Pontificale.* Ubi manifestè apparet, quod Ecclesia, quæ his temporibus Laicos omninò removet à ferendo suffragio pro electione suorum ministrorum: non solum non vetat eis dare exclufivam removendo indignum, immò eos invitat, & provocat ad eam  
inter-



interponendam, medio testimonio de criminibus,  
( si quæ sunt ) ac dignitate promovendorum: Notentur  
illa verba: *si quis habet aliquid contra illos, exeat & dicat.*

Hac ( reor ) de causa Cardinalis Bellarminus 66  
*tomo 1. lib. 1. de Cleric. cap. 7. versic. secundo dico*, affirmat  
Ecclesiam hodie admittere Laicos ad ferendum  
testimonium de vita, & moribus Ordinandorum.  
Audiamus Bellarminum respondentem Hæreticis,  
qui ex verbis S. Cypriani malè intellectis, conabantur  
probare sæculares gaudere facultate, ac jure ferendi  
positivè suffragium in electionibus ecclesiasticis:  
Verba Bellarmini sunt hæc: *Dico Cyprianum hoc loco  
nihil tribuere Populo circa electiones Sacerdotum, nisi ut ferant  
testimonium de vitâ & moribus Ordinandorum. Quod nunc  
etiam servatur in Eccl. siâ Catholicâ. Dicit autem Cyprianus  
Populum habere potestatem eligendi, quia Populus potest dicere,  
si quid noverit boni aut mali de ordinando. Vide igitur  
Venerabilem Cardinalem duo simul hodie ab Ec-  
clesiâ praticari fatentem: Unum, excludere omni-  
nò Laicos à suffragio ferendo pro electionibus  
Ecclesiasticis; aliud, admittere omninò eos ad de-  
ponendum circa mores, ac defectus Ecclesiastico-  
rum Ordinandorum. Signum ergò, quòd Exclusiva,  
seu remotio indigni, per depositionem criminum  
( quæ reddunt eum indignū ordinari, & promoveri )*



nec pertinet ad electionem positivam, nec eam ingreditur, sed omninò eam antecedit: nec est sæcularibus interdicta (quod est finis & scopus hujus dictaminis) sed concessa, aut ad minus permissa; ut expressè probabo Sectione sequenti, cum de hoc sermo redibit.

## S. VI.

*Exclusivæ honestas roboratur ex dictis, & quòd sit actus imperatus à charitate, suadetur.*

67 **L**ucem sortientur, quæ diximus, non exiguam Lex iteratâ confirmatione Exclusivæ. Suppeditat autem Ecclesia robustum ad id fundamentum, verbis illis quibus sæculares provocat, ut de Ordinandorum moribus testimonium ferant, Videlicet, *pro Deo & propter Deum, exeat & dicat*: ex quibus tale conficium argumentum.

*Exclusiva Zelat Dei honorem.*

**Z**elare Dei honorem, & exercere charitatis actum sunt actiones honestæ, & laudabiles: sed qui indignum arcet ab officio ecclesiastico, impediendo ne illud obtineat, zelat honorem Dei, & exercet actum



actum charitatis: ergo honestè & laudabiliter facit: atqui hoc facit Princeps Exclusivam interponens. ergo facit honestè & laudabiliter. Minor probatur ex illis verbis Ecclesiæ jam datis, videlicet *si quis igitur habet aliquid contra illos ( nempe promovendos ) pro Deo & propter Deum , cum fiduciâ exeat & dicat : sed his verbis denotatur , quod dare testimonium contra Ordinandos de criminibus eorum, est zelus divini honoris, & actus charitatis; Ergo.*

Minor probatur; & primò quòd denotetur zelus divini honoris: nam domum Dei decet sanctitudo, & altare Dei ministri sancti: unde criminosi illud polluunt, dum ministrant & polluendo contemnunt, Deumque inhonorant, ut est tritum in sacris paginis, ergo qui à ministerio Ecclesiæ & Altaris criminosum & indignum ministrum removet, zelat honorem Dei, cujus est Ecclesia, & Altare: Præterea phrasis illa *pro Deo zeli* emphasim præfert, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, dixit Elias 3. Reg. c. 19. v. 10 & 14: id ipsum etiam constat ex verbis Mathathææ ad Filios suos, *date animas vestras pro testamento*: & dicit Spiritus Sanctus 1 Machabeorum cap. 2. quod zelando legem, hæc proferebat; sicut & zelabat DEi honorem, cum Judæum volentem idolis sacrificare interfecit.



*Exclusiva exercet charitatem erga  
D E V M.*

68 **Q**UOD verò sit actus charitatis, dare testimonium de criminibus ordinandi, ne promoveatur, Probatur; nam charitas respicit Deum in se, & proximum propter Deum; sed depositio de criminibus ordinandi, juxta dictum Ecclesiæ illis verbis *propter Deum*, respicit Deum in se, ergo est actus charitatis: minor probatur, nam dictio illa *propter*, secundum frequentem usum Scripturæ sacræ, denotat aliquid factum ex amore & dilectione alicujus personæ. Genes. cap. 39. num. 5. *Benedixit Dominus domui Egypti propter Joseph à Deo dilectum.* & 2. l. Reg. c. 9. dixit David, *putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* cum quo anima David erat conglutinata. Et l. 3. Reg. c. 11. *Dixit Dominus Salomoni, scindam Regnum tuum; Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David Patrem tuum, quem invenerat juxta cor suum.* Et epist. 2. ad Cor. cap. 4. n. 11. dicebat Apostolus *in mortem tradimur propter Iesum, ad quæ D. Thomas lect. 4. inquit, propter Iesum, id est propter amorem Christi.* Nam hæc inest vis & energia illi dictioni *propter*: ergo qui prohibet ne indignus accedat ad altare Dei, ipsa met prohibitione facit actum charitatis erga Deum:  
Patet



Patet consequentia ex illis verbis Ecclesiæ citatis, *exeat, & dicat propter Deum*: Ergo Princeps qui Exclusivam contra indignum repræsentat, zælat DEI honorem, & actum charitatis erga DEVM exercet.

*Exclusiva oritur à charitate in Exclufum.*

**Q**Uòd verò etiam exerceat actum charitatis erga proximum exclusum, ut indignum ministerio, à quo retrahitur, sequenti ratione ostenditur: Nam secundum Augustinum, *Ep. 5. ad Marcel. nil est infelicius facilitate peccandi, qua pœnalis nutritur improbitas, & mala voluntas roboratur*: sed qui per Exclusivam impedit belligeroso, & inquieto promotionem ad dignitatem, in quâ & ex quâ majorem haberet facilitatem peccandi, istetalis absque dubio removet ab eo maximam infælicitatem: Ergo exercet in eum charitatem. Unde S. Augustinus postquam retulit aliqua sui sæculi vitia, inquit; *Hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur gravius: Hæc si impunita dimittat, tunc punit infestis. Cùm verò evertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur*: applica Exclusivæ doctrinam. Et concludit S. Augustinus, *agenda ergo sunt multa, etiam cum in vitis, benigna quadam asperitate*  
plecten-



plebendis; quorum potius utilitati consulendum est, quam voluptati. Ecce, quod sit benigna asperitas, quam Princeps erga Exclisum exercet.

D. Thomas 2.2. quest. 40. art. 1. ad 2. allegat præfatam Augustini auctoritatem, ut probet, *utiliter, & piè bellum inferri ei, cui pax est nociva*: quæ doctrina etiam conducit ad intentum discursus: præcipuè ponderando illa duo *utiliter & piè*.

70 Antecedens verò, scilicet, quod impediendo excluso fælicitatem vanam dignitatis obtinendæ, auferatur ei facilitas certa peccandi, probat latissimè Augustinus (ubi supra) exemplo Romanæ Urbis, quæ fælicitatibus cecidit, facta deterior, prosperitatis vitijis ipso incremento triumphorum. *Quanto inquit) humanarum rerum malo illa iniquitas prosperata sit, nunc longum est dicere: audiant Satyricum suum, garriendo vera dicentem,*

*Servabat castas humilis fortuna latinas,  
Quando nec vitijis contingi parva sinebat*

*Tecta labor, somnique breves &c. Juvenal. Satyr. 6.*

*Nullum crimen abest (prosequitur Augustinus) facinusq;  
libidinis, ex quo paupertas Romana periit. Quid ergo expectas,  
ut ego exaggerem, quanta mala importaverit, successu prospero  
iniquitas sublevata, quandoquidem & ipsi, qui aliquantò prudentius attendunt, plus dolendam viderunt paupertatem,  
quàm*



quàm opulentiam perisse Romanam? in illa enim morum integritas servabatur: per hanc autem, non muros u. bis, sed mentes ipsius Civitatis dira nequitia ( omni hoste peior ) irrupit. Hactenùs, & perbellè Augustinus; quippe qui benè noverat, quod dilatatus, impinguatus, & incrassatus recalcitrabit etiam dilectus, Deuteron. cap. 32.

Confirmatur quòd Exclusiva exerceat actum 71  
 charitatis erga exclusum ex doctrinà D. Thomæ  
 2.2. quæst. 83. art. 16. in corpore, ubi cum S. Augustino  
 docet, quòd Deus propitius denegat multa Homi-  
 nibus, quæ concedit iratus: & quod ex misericor-  
 dia non audit aliquando petentem nociva, & ali-  
 quando audit in vindictam: Videatur S. Doctor,  
 ex quo sic argumentor; impedire optanti nociva,  
 ne illa assequatur, quantum est ex se, est actus pietatis,  
 & misericordiæ, non secus ac est actus pietatis  
 detinere Phreneticum ne arripiat gladium, quo se  
 percutiat; Sed hoc ipsum, quantum est ex se, facit  
 Exclusiva erga exclusum, ut supponimus ex dictis:  
 ergo est actus charitatis erga exclusum, quantum  
 est ex parte excludentis, judicantis prudenter exclu-  
 sum, si inthronizaretur, certò futurum nocivum  
 Ecclesiæ.

Nec refert, quod de Exclusiva ipse lamentetur 72  
 exclusus: nam in statera dolosa appendit eam,

H

&



& mendaces filij hominum instateris, dicentes malum bonum, & bonum malum, quia perversa & adversa mortalium corda (ait Augustinus citatus) falsces res humanas putant, cum testorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum. Et veniet tempus, quando exclusus in se reversus dicat: bonum mihi, quia humiliasti me, nec tunc recordabitur pressuræ præteritæ propter gaudium præsens. Quare parvi facto exclusi dolore, attendenda est excludentis medela, quæ dolentis sollicitat salutem.

73. Facit ad confirmationem mirabilis doctrinæ D. Thomæ lect. 3. super cap. 12. epist. 2. ad Corinth. circa illa verba Apostoli, propter quod Dominum ter rogavi, ubi Apostolus refert, se instanter petentem à Deo, ut recederet tentatio, nullatenus fuisse exauditum: Verba D. Thomæ subjicio: *Infirmus nesciens processum Medici, apponentis mordax emplastrum, rogat Medicum, ut removeat: Medicus tamen causam sciens, quare faciat, scilicet propter sanitatem, non exaudit eum, quantum ad voluntatem petentis, magis curans de ejus utilitate. Sic Apostolus sentiens stimulum sibi gravem esse, ad singularis Medici confugit auxilium, ut eum removeat: sed Dominus dixit, sufficit tibi gratia &c. quasi dicat, non est tibi necessarium, quod infirmitas corporis recedat à te &c. Apostolus autem, quia nondum revelatum ei erat secretum divine providentiæ, ut ad utilitatem suam cederet stimulus,*



*stimulus, considerabat sibi malum, & ideo petierat ejus amotionem: nec in hoc peccavit. Sed Deus, qui ordinaverat hoc ad bonum humilitatis sue, non exaudivit eum, quantum ad ejus voluntatem. Quod tamen sciens Apostolus, postmodum gloriabatur, cum diceret, libenter gloriabor in infirmitatibus meis &c. & licet non exaudierit eum quantum ad voluntatem, exaudivit tamen eum quantum ad utilitatem: Unde D. Hieronymus epistolâ ad Paulinum ait: Bonus Dominus, qui sæpè non tribuit quod volumus, ut tribuat quod mallems: Hæc D. Thomas.*

In quibus verbis nos docet D. Thomas, dolorem & reluctantiâ infirmi, petentis removen- dum à se medicamentum mordax ( quod falsò judicat sibi esse nocivum ) nil detrahère quò minùs ex charitate ei sit applicatum à Medico: pro cujus applicatione post infirmus gratias ei reddet, cum videlicet venerit in sanitatem. Applicentur omnia respectivè excluso, Exclufivæ & exclu- denti.



*Exclusiva exercet -charitatem erga  
Ecclesiam.*

74 **A**Liâ viâ suadetur Exclusivæ honestas : nam licitum & laudabile est pecunijs redimere injustam Ecclesiæ vexationem , casu quo Electores eligere voluissent indignum : ergo licitum & laudabile erit redimere eam Exclusivæ interpositione. Patet consequentia , nam majorem honestatem præferunt, si redemptio prece fiat , & non pretio ; Sed per Exclusivam fit prece, per pecunias verò fit pretio, ergo si hoc est honestum & laudabile , honestius & laudabilius erit illud. Antecedens autem probatur autoritate gravissimorum Doctorum : nam ita sentiunt Major in 4. dist. 25. q. 5. ad 2. Sotus l. 9. de just. q. 6. art. 1. ad 5 : Azor tom. 3. lib. 12. cap. 7. quæst. 3. Villalobos tom. 2. tr. 37. diffic. 23. Ledesma 2. p. tr. 12. post 17. conclusionem : Aragon 2. 2. quæst. 100. art. 6. P. Gabriel Vasquez Opusc. de scandalo , art. 8. dub. ultimo vers. ex hac doctrina. Petrus Hurtado 2. 2. disp. 173. sect. 17. §. 237. Castro Palao, tom 3. disp. 3. de Simonia, puncto 20. num. 8. Valencia tom. 3. disp. 6. quæst. 15. puncto 3. vers. quartò sequitur. Lessius lib. 2. de just. cap. 35. dub. 18. & 19 : Becanus de just. & jure cap. de Simon. quæst. 14. Basilus Poncede Leon de Matrim. lib. 5. cap. 18. num.



num. 42. Omitto Magistrum Petrum Merino, publicum & proprietarium moralis Cathedræ Salmanticae professorem : Mag. Casparum de Los Reyes, Primariæ Theologiæ Cathedræ moderatorem; Mag. Ferdinandum de Leon Cathedrarum Scoti, S. Thomæ, & Durandi Præceptorem, in manuscriptis de Simoniâ & iustitiâ, omnes Magistri mei, omnes Salmanticenses Doctores, omnes mei Instituti alumni : ex quibus omnibus multi loquuntur expressè, & in terminis de Electione summi Pontificis.

D. Thomas, 2.2. quæst. 100. art. 2. ad 5. chorum 75  
 ducit, docens quòd sit licitum ei, qui habet jus ad Episcopatum, dare pretium, ut removeat impedimenta injustè cum retardantia, quod est redimere injustam vexationem. Et art. 4. ad 3. excusat Angelicus Præceptor à Simoniâ Iacob ementem primogenituram ab Esau (cui ante legem sacerdotium annexum erat) & dicit S. Thomas id licitum fuisse, quia per illud pretium Iacob redemit suam injustam vexationem; nam cum ipse haberet jus ad primogenituram ex DEI voluntate, injustè vexabatur, quamdiu apud Esau detinebatur. Ergo secundum D. Thomã licitum est redimere injustam vexationem circa res spirituales, si adest in vexato jus ad illas.

H 3

Tunc



Tunc sic: sed Ecclesia secundum eundem S. Doctore  
*2. 2. quest. 185 artic. 3. in corpore*, habet jus, ut Electores  
 non provideant ei de indigno, sed de meliori, atten-  
 tis circumstantijs præsentis necessitatis Ecclesiæ.  
 Ergo si Electores vellent eligere indignum, injustè  
 vexarent Ecclesiam; Ergo licitum esset secundum  
 D. Thomam pretio redimere hanc injustam vexa-  
 tionem: quod erat nostrum Antecedens supra  
 positum.

76 Cajetanus etiam stat expressè pro hac sententia,  
 agens in terminis de electione Summi Pontificis,  
*tom. 2 opus. tr. 9. quest. 3. vers. quoad tertium*, ubi postquam  
 negaverat redemptionem injustæ vexationis pro-  
 priæ habere posse locum ante electionem; quia  
 ante electionem nullus habet jus ut eligatur ad  
 dignitatem: admittit tamen, quod Redemptio  
 vexationis Ecclesiæ (casu quo Electores vellent  
 indignum eligere) habeat locum ante electionem:  
 quia, inquit, Ecclesia habet jus, ut Electores  
 ei de bono, & digno Pastore provideant: ex quo  
 infert (notentur verba Cardinalis, scientiâ & pur-  
 purâ Eminentissimi) *Excellentissima charitatis esset opus,*  
*se volentibus Electoribus Caput perniciosum eligere, pecuniam*  
*quis eis daret, ne tam immane sacrilegium committerent. Sicut*  
*volentibus materiale templum spoliare, laudabiliter daretur*  
 pecu-



pecunia, ne hoc faciant: tantò enim magis in casu nostro licitam & laudabile est, pecuniam dare & promittere, quantò vita ovium Christi omnibus rebus temporalibus præponenda est: cum pro illis Dominus animam suam posuerit, cæterisque præponendam mandaverit, non solum exteriorem substantiam, sed vitam, cum oportuerit; Hæc Cajetanus.

Denique P. Franciscus Suarez tomo 1. de Religi- 77  
one, lib. 4. cap. 50. numero 35. agens de electione summi Pontificis, multa dicit omninò ponderanda ob meritum tanti Doctoris. Conveniunt omnes (ait) non esse simoniam dare pecuniam Electori, ut non eligat indignum: quæ tunc non datur pecunia pro aliqua re spirituali; nec pro usu spiritualis potestatis: nec pro usu simpliciter: sed datur pro non-usu, seu potius pro non-abusu spiritualis potestatis. Hæc ille. Ex quibus infero: Ergo cum Exclusiva non respiciat usum spiritualis potestatis, sed solum non usum illius, circa personam indignam, sequitur quòd Exclusiva non ingrediatur electionem, sed sit aliquid omninò eam antecedens: hoc notavi pro supra dictis, numero 64.

Redeat iterùm P. Suarez. Item (inquit) per talem 78  
largitionem non emittitur Pontificatus; nec per se liquendo, paratur via ad illum obtinendum (Ecce iterùm, quòd Exclusiva non intrat terminos electionis, immò nec paratur via ad Pontificatum: quòd ego intelligo de præparatione  
posi-



positiva; non de negativa juxta dicta supra numero 64) *sed relinquitur Elector in eadem libertate, quam juxta divinam legem, & justitiam habere debet ( nota, ergo si post Exclusivam de indigno manet libera electio, & elector quoad electionem sequitur, sequitur quod Exclusiva non ingrediatur electionem, nec libertatis ejusdem jura lædat ) Ecclesia autem [prosequitur] habet jus, non solum, ut non eligatur indignus: sed etiam ut non eligatur minus dignus. Ergo in quocunque istorum vexationem patiatur, licitum est unicuique redimere jus Ecclesie, & commune ejus bonum procurare, auferendo impedimenta. Hæc P. Suarez.*

Ergo si juxta doctrinam P. Suarez licitum est cuilibet de Ecclesiâ, redimere vexationem ejus, dando pretium Electoribus, ne eligant indignum; potiori jure licitum erit Principi ( qui est de nobilioribus membris Ecclesiæ ) agere de redemptione vexationis ejusdem, non dando pretium, sed fundendo preces, & repræsentando sacris & Eminentissimis Electoribus indignitatem alicujus determinatæ Personæ.

79 Prosequitur P. Suarez num. 38. *Per illam pecuniam non determinatur voluntas eligentis magis, quam secundum rectam rationem determinari debet: sed tantum à malo removetur, & inducitur ad bonum; non emendo ab illa suffragium, sed*



*sed removendo prævum affectum ejus, ut libera maneat ad justam electionem: Hæc Suarez: qui semper fatetur redemptionem vexationis totam consistere ante Electionem; & cum Exclusiva sit redemptio vexationis Ecclesiæ, sequitur quòd omninò extranea sit Electioni. Semper pondero hoc, quia quoties de Exclusiva differentes audivi, in hoc solo puncto impingebant, quasi alio pede non claudicaret.*

Sed ut magis commendabilis appareat Princeps, qui Exclusivam repræsèntat: audiamus iterùm P. Suarez ponderantem commoda & utilitates, quæ in beneficium Ecclesiæ resultant, ex impedimento apposito, ne indignus inthronizetur. *Dubitari tamen non potest ( inquit Author numero 42 ) quis de electione ad summum Pontificatum sit specialis ratio quàm in alijs electionibus ecclesiasticis: tum propter supremam illius dignitatis potestatem, quæ eminentiam magnam charitatis & prudentiæ, & magnam animi moderationem requirit, ut dignè & utiliter administretur; tum propter necessitatem totius Ecclesiæ universalis, quæ longè major est: tum etiam, quia error semel commissus in illa electione circa personam electi, emendari non potest ( pondera hoc, ut gratias agas Principi indignum excludenti ) quia Pontifex semel electus non habet superiorem in terris: in alijs veò electionibus, si errores graves committantur, possunt per superiores Prelatos, vel per ipsum Pontificem emendari. Et hinc fit, ut*



*ista electio non possit semper arbiari ad generales terminos juris communis; sed ad eos tantum, qui circa illam specialiter à Pontificibus sunt ordinati: & in alijs regulanda sit, secundum rectam rationem, & divinam legem: ita ut omnia, quæ intrinsecè mala sunt (ut electio de indigno) vitentur: & in reliquis, quæ specialiter prohibita non sunt (quis Pontificum Exclufivam prohibuit, etiam si non rarò interponatur?) ea liceant, quæ ad dignam, & puram electionem faciendam, & ad melius Ecclesiæ providendum, conducant. Hactenus P. Franciscus Suarez: Tunc sic. Sed Exclufiva conducit ad dignam, & puram electionem faciendam, & ad melius Ecclesiæ universali providendum, ut probavi, & latius Sectione sequenti apparebit.*  
 Ergo licita dicenda est &  
 laudabilis.

SECTIO



SECTION II.

Utrùm Eminentissimi Electores  
licite possint Exclusivæ  
favere?

Videri posset alicui præsentem difficultatem satis  
ex dictis mansisse evacuata: nam si Exclusiva  
à Principe interposita, tota est in avertendo malum  
ab Ecclesiâ sanctâ; Unde laudabilis, meritoria &  
opus excellentissimæ charitatis æquissimè audit; si  
consequens, quòd liceat ei cooperari, maximè à  
Patribus purpuratis, qui pro Ecclesiæ bono parati  
existunt sanguinem usque profunderè. Quia tamen  
dicta in Sectione præcedenti, & Articulus de digno  
& digniore ( qui nondum est explicatus ) dicendis  
roborabuntur, operæ pretium duxi præ-  
sentem exagitare Quæ-  
stionem.



S. I.

*Dignus & dignior sunt termini respectivi : In nostro casu accipiuntur per ordinem ad Ecclesie utilitatem, & indigentiam : Hæc non est semper eadem, sed variat,*

**P**RO hujus ergo quæstionis resolutione, præmittere oportet, quid sit, aliquem esse digniorem, seu magis dignum Pontificatu? Circa quod

2. *Suppono digniorem in nostro casu esse vocem respectivam, non tantum per comparisonem ad cæteros, vocem passivam habentes; sed etiam & præcipuè per ordinem ad Ecclesiam, ad cujus regimen est assumendus electus. Constat ex Concilio Trid. sess. 24. de reformat. cap. 1. ibi, nisi quos digniores, & Ecclesie utiles judicaverint &c. ubi major dignitas per ordinem ad majorem Ecclesie utilitatem meretur.*

*Est etiam expressa doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 185. art. 3. in corpore, ibi, ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, sed meliorem quoad regimen Ecclesie : Videatur Cajetanus ibidem.*

*Beatus etiam Augustinus de Ancona, in Summa de*



ma de Ecclesia quæst. 47. art. 1. rogat, utrum possit eligi ad Prælatum Ecclesiæ, nobilis, aut dives, earatione quæ dives, aut nobilis est, absque culpa acceptionis personæ? & Respondet affirmativè, etiamsi præferatur virtuoso & literato, *dummodo tamen* (inquit) *nobilitas, & locupletio electi magis protunc conducatur ad utilitatem Ecclesiæ.*

Hac de causa honestantur Statuta de Beneficijs <sup>3</sup> patrimonialibus; ad quæ non admittuntur nisi vel naturales vel oriundi, cum tamen digniores possent inter exteros inveniri: & hæc statuta approbat D. Thomas 2.2. quæst. 63. art. 2. ad 4. Quem sequuntur plurimi, ut videre est apud Barbosam *in collect. ad cap. bonæ memoriæ 2. de postulat. num. 7. & ad caput cùm decorem, de institut. num. 4. & latissimè tom. 1. votor. decisivor. lib. 2. voto 33. à n. 1. usque ad 11. exclusivè.* Videatur Azor t. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 25. Ioannes Angelus Bosius tom. 1. titulo 7. de Benefic. §. 2. per totum: D. Petrus Gonzalez de Salcedo lib. 1. de leg. politicâ, cap. 5. Dominicus Soto, de just. lib. 3. quæst. 3. art. 2. ante 10. conclusionem, dicit non solum esse conducentius Ecclesijs providere eis de naturalibus, *sed etiam* (addit) *quod in Tridentino ipso presente, fuit consultum ex eodem motivo, super servanda ipsissima forma, circa beneficia curam animarum habentia.* Videas quanti faciendâ  
I 3                      veniat



veniat Ecclesiæ utilitas, ut non aliter quis dignior sit judicandus, nisi per ordinem ad eam.

4 Similiter in illa quæstione, utrum debeat eligi in Pontificem dignior de sacro Collegio, an dignior de toto orbe; Respondent meliores Doctores, deberi eligi digniorem de sacro Collegio, relicto digniore de toto orbe; redduntquè rationem, quia magis dignus de Collegio, censetur dignior absolute ad Pontificatum, quàm cæteri de toto orbe; eò præcisè, quòd talis est utilior respectu Sanctæ Ecclesiæ, & ratio utilitatis consistit, tum quia ex his quæ vidit & egit in sacris consistorijs, benè novit negotia Ecclesiæ, quæ exterus præsumitur ignorare; tum etiam, quia electus de Conclave, statim applicat regimini manus: exterus autem non, cùm msit avocandus à longè & expectandus ejus consensus, & adventus Romam, in quo consumetur, immò perdetur multum temporis, quòd esset perniciosum Ecclesiæ.

Videatur Aragon & Salon, quos Villalobos allegat & sequitur *tom. 2. tract. 8. num. 18.* consequenter ad ea, quæ dixerat numero 8. videlicet, quòd major dignitas in eligendo debet metiri per ordinem ad majorem utilitatem Ecclesiæ.

Videndus est etiam B. Augustinus de Ancona, in Sum-



in Summa quæst. 3. art. 6. ubi resolvit pro magis digno de Consistorio, motus quinque rationibus respicientibus utilitatem Ecclesiæ.

Quia tamen Ecclesiæ indigentia non semper est eadē, sed diversa pro temporum variatione. Aliquando enim indiget Pastore, qui à grege Christi doctrina lupos exterminet, aliquando desiderat Principem, qui utrumque gladium verset, & patrimonium Ecclesiæ ab Usurpatoribus vindicet: & semper Patrem familias suspirat, qui Ecclesiæ Filios in pace & concordia fervet: Similiter utilitas Ecclesiæ universalis non est eadem semper, sed varia pro temporum varietate.

Ex quo oritur, quòd ad dignoscendum magis dignum hinc & nunc, debeat attentè considerari status præsens Ecclesiæ: Hac de causa Doctores prudentiores cum examinant illam quæstionem, An scilicet Theologus, vel sacrorum Canonum Professor præferendus sit ad Episcopatum? Respondent sub distinctione: vel Ecclesia, cui est providendum, laborat erroribus & hæresibus, vel non? si laborat, præferatur dignus Theologus Jurisperito digniore: si verò non laborat erroribus, sed litigijs & controversijs citra Religionem, in isto casu provideatur ei de Jurisperito idoneo, relicto Theologo digniore.

ut. la--



ut latè patet per Hostiensem & Abbatem *in cap. 1 de consanguinitate: Reginaldum lib. 30. tract. 3. cap. 14. num. 199. Azorium, Rodriguez & Henriquez apud Barbosa de potest. Episcop. p. 2. allegat. 1. num 30. & 31.*

## S. II.

*Proponitur præsens Status Ecclesiæ pro dignoscendo hic & nunc digniore.*

CONsideremus igitur qualis sit hoc anno 1655 incipiente Status Ecclesiæ universalis, qualisque ipsius major indigentia, ut juxta illam magis dignum pro summo Pontificatu inferamus.

Tota ardet bellis Europa ab hinc plus triginta annis: Audacia militum maximè Hæreticorum, Ecclesias non veretur. Tempia diruit: Imagines evertit: Altaria prophanat. Virgines DEO Sacræ intra Monasterij mœnia non sunt securæ, ibi violantur, & inde, ut meretrizent, extrahuntur: Sed non mirum, quando Sacrosanctum Christi Corpus è custodiâ educitur: utinam non aliquando equis fuisset inter fœna projectum. Frequētantur rapinæ, incendia, adulteria, perjurya. Verba pro aliarum miseriarum expressione non suppetunt; declamet eas ac deploret Ægidius Vitervienfis, qui oratione 1. in Concilio Generali Lateranensi, sub Julio II. sequentia de suo Sæculo dolet.



dolet, aptissima huic nostro presenti. *Vidimus* (inquit) *acies utrinque profligatas: vidimus cedes: vidimus clades: vidimus campos occisorum acervis coopertos: vidimus terram his annis plus cruoris habuisse, quam pluvia: minus imbrum bibisse, quam sanguinis. Vidimus tantum occubuisse Christiani roboris, quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis. Nihilque jam nobis, nisi exitium, nihil nisi interitum superesse.* Hæc ille flebili voce: quæ fideis oculis nec legimus tunc, nec modò referimus.

Si ergo temporibus hisce tot tantaque mala ex bellis & discordiâ inter Christianos Principes oriuntur;

### C. III.

*Qualitates hinc & nunc, præcipue dignum constituentes indignumque reddentes.*

**I**Nfertur primò, quòd ille hodie dignior censendus sit pro summo Pontificatu Ecclesiæ, qui (suppositis supponendis circa dotes Sanctimonix, Litteraturæ & Prudentiæ) magis propensus fuerit in pacem publicam; & qui plus de eâ sollicitus speratur. Probat, nam si semper major dignitas ad Pontificatum,

K est



est mensuranda per ordinem ad præsentem necessitatem universalis Ecclesiæ, cum majora eus incommoda ex bellis inter Christianos Principes hodie orientur, (quæ nullo alio medio reparari valent, quàm pace stabilita universali) sequitur quòd hîc & nunc ille dignior censeri debeat, qui propensior fuerit ad pacem, & de quo speratur quòd Principes ad unionem inducet.

- 8 Confirmatur; nam si secundum D. Thomam 2. 2. q. 138. art. 3. in corp. semper desideratur propensio ad pacem in eligendo ad Pontificatum, ut scilicet pacificè Ecclesiam regat, sequitur quòd potiori jure hoc sit desiderandum in præsentibus calamitatibus Orbis. Verba D. Thomæ subjicio, quæ semper deberent esse præ oculis eligentium: *Ille (ait) qui debet eligere aliquem in Episcopum, non tenetur eligere meliorem simpliciter: sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam instruere, & defendere, & pacificè gubernare.* Ponderentur singula, maximè ultima verba; nempe, *& pacificè gubernare.*
- 9 Infertur secundo, quòd ille, de quo non speratur sollicitum fore pro concordia & publica pace, minimè hodie sit dignus summo Ecclesiæ Pontificatu, etiam si fulgeat prudentiâ, doctrinâ & pietate: Patet, quia deest ei illa qualitas magis hodie desiderata



derata ad Ecclesiæ utilitatem: & penes quam metienda est major dignitas eligendi.

Infertur tertio, quòd ille, de quo prudenter timetur, quòd inthronizatus bella aut excitabit, aut nutriet, hodie sit indignissimus Solio Petri: etiamsi nobilitate, prudentia & doctrinâ splendeat. Probat, nam belligerosus, & animo inquietus est positivè contrarius præsentì indigentia Ecclesiæ; Ergo est omninò indignus quòd hodie præficiatur in Caput.

Confirmatur; nam si perturbator pacis unius particularis Ecclesiæ excommunicatur, & arcetur a participatione Sacrorum, ut videre est in Canone 2. Concilij Oxoniensis celebrati in Anglia anno 1222, Temporibus Honorij III. quod Decretum invenitur confirmatum in Concilio Viturenfi, canone ultimo ( extat apud Coriolanum in appendice Conciliorum Gallia, folio mihi 73 ) ergo potiori jure arcendus erit ille à throno Petri, de quo prudenter timetur quòd bellis ejus Ecclesiam vexabit.

Dixi in hac tertia illatione, *etiamsi nobilitate, prudentiâ & doctrinâ splendeat, & non dixi, etiamsi pius in Deum extiterit & homines, quia cum DEUS non sit Deus dissensionis, sed pacis secundum Apostolum 1. Cor. c. II. & odio habeat eum, qui seminat inter Fratres discordias, Proverb. cap. 6.*



nequit, qui Deum verè & ex corde, religione ac pietate colit, pacem non insequi, & discordias non componere, si potest.

- II Inferitur Quartò, quòd peccabit letaliter Elector, qui hodie daret suffragium pro belligerò, & turbulento. Probat, quia eligeret indignum hìc & nunc, etiamsi aliàs fuisset doctissimus, nobilissimus, & in negotijs maximè exercitatus: nam major dexteritas ad negotia, si non comitetur animum pium, pacificum vel neutralem, potiùs nocebit, quàm proficiet. Unde benè Sotus lib. 2. de just. quæst. 3. art. 4. conclus. 4. agens de simili argumento in alia materia, dixit, *nemo qui improbis est moribus, quacumque vel scientiâ vel prudentiâ præpolleat (quæ potiùs in viro pravo erit astutia) ad hujusmodi provincias est assumendus, Astutia autem, secundum D. Thomam est peccatum, & ad peccatum inducit: videatur 2. 2. quæst. 55. art. 3.*



S. IV.

*Diligentia necessario adhibenda à Sacris Electoribus ante Electionem, pro obtinendâ sufficienti notitia de indigno & de digniore.*

**A**D quæstionem ergo accedendo : supposito quòd Eminentissimi Cardinales, ex vi sui muneris electoralis, tenentur sub pœna damnationis æternæ, suffragium dare magis digno, attentis circumstantijs præsentis indigentia universalis Ecclesiæ, cui providendum est de Pastore:

Dico primò: Eminentissimi Electores, quando <sup>12</sup> proximè sunt ad Electionem, tenentur altâ mente perpendere, qualis sit præsens necessitas Ecclesiæ universalis, ut eidem valeant de magis digno providere Pastore. Hæc conclusio est clara, & deducitur ex dictis.

Dico secundò : tenentur etiam omnem dili- <sup>13</sup> gentiam adhibere ut perfectam consequantur notitiam de qualitatibus, moribus & affectionibus, tam publicis quàm privatis eorum, qui circumferuntur proximiores Electioni passivæ. Probatur; quia si id omitterent, præsumeretur, eos velle cæciter  
K 3            proce-



procedere, & consequenter culpabiliter in negotio gravissimo, quod absit.

*Si adest Exclusiva, audiri & excipi  
debet.*

14 **D**ico Tertio, licite possunt, immo debent Eminentissimi Electores audire Ministros Principis Exclusivam representantis.

Probatum; nam Electores ratione sui muneris, sunt Iudices de majori dignitate eligendi; Ergo debent habere notitiam perfectam, non in abstracto, & in genere de qualitatibus constituentibus majorem dignitatem, & de vitijs eam evertentibus, sed debent habere notitiam in concreto de illis, hoc est, de eo, quod Cajus (quem eligere desiderant) habeat predictas bonas qualitates, & careat vitijs nocentibus hic & nunc: Tunc sic; sed de eo, quod Cajus careat vitijs contrarijs bonis illis qualitatibus hic & nunc desideratis, non est facile, immo est difficile, habere perfectam notitiam, si elector tantum innitatur communi & familiari consuetudini: & ex alia parte, facillimum est illam habere, si audiat Exclusivam representantem. Ergo tenetur elector, ne caeciter & culpabiliter procedat, audire Ministros Exclusivam inter-



interponentes, ut possit rectè judicare, quòd in Cajo  
(quem eligere intendit) non inveniuntur vitia con-  
traria bonis illis qualitatibus, hìc & nunc in eligen-  
do desideratis.

Minor autem, quoad primam partem, vide-<sup>u s</sup>  
licet, quòd non sit facile Electori ( immò difficile )  
habere perfectam notitiam, de eo quòd in Cajo  
concurrant bonæ illæ qualitates hìc & nunc deside-  
ratae, & quòd careat vitijs contrarijs, si Elector solum  
innitatur communi & urbanæ familiaritati, probatur:  
nam qualitates quæ hìc & nunc desiderantur in eli-  
gendo, sunt animus pacatus, benevolus ad omnes,  
propensus in pacem publicam, & Principum uni-  
onem: vitia autem contraria sunt, animus bellige-  
rosus, partialis, seditiosus, discordiæ feminator ac  
nutritor, juxta dicta numero 7. 8. & 10: sed sic est, quòd  
prædicta vitia semper secretò procedunt, fugiunt  
enim ex natura sua communem consuetudinem, &  
urbanam familiaritatem, ergo nequit haberi perfe-  
cta notitia eorum ex vi solius communis & urbanæ  
consuetudinis.

Minor probatur; nam si juxta Onofandrum *in*  
*strategico, cap. 10. §. 8* ( qui est *de arcanis Imperatorum consilijs* )  
*demens ille est, qui arcana negotiorum cum multitudine communi-*  
*cat*, quantò magis demens esset, negotia belli  
à mul-



à multitudine non celaret : Unde dixit Ammianus *lib. 10. res bellicas non ager, cui est grave silentium, quasi absque silentio, & secreto tractari nequeant: quia si ea, quæ agere instituimus, secreto non habentur, semel pro- palata, vel prævenientur, vel impediuntur ab alijs, ut monuit Libius de re militari, cap. 2. cum ergo ea, quæ bella concernunt, & partialitates disponunt, secreto semper agantur, nequeunt ex solâ communi consuetudine & familiaritate satis penetrari & agnosci. Facit ad hoc, quòd cum insidiantes paci sint semper fraudibus pleni, vulpinantur continuo, credentes se cum vulpibus agere: unde difficile est, ex verbis animum eorum investigare.*

- 16 Secunda verò pars minoris, positæ numero i 4. videlicet, quòd si Eminentissimi Electores audierint Exclufivam interponentes, facilè poterunt habere perfectam notitiam de eo: utrùm Cæjus (in quem passiva inclinât Electio) careat, vel scateat vitijs contrarijs præsentî indigentia Ecclesiæ, ex quo dignus, vel indignus æstimari possit hîc & nunc. Probatur: nam stando dictis supra num. 6. de præsentî necessitate Ecclesiæ, debent desiderari in eligendo ultra qualitates positivè conducentes, quòd careat animo inquieto, seditioso, partiali & belligeroso; sed hæc nullo alio modo possunt cognosci, nisi audiendo

Exclu-



Exclusivam, & perpendendo momenta ejus; Ergo tenentur Electores præbere aures Exclusivam representantibus.

Minor probatur; nam qui Exclusivam interponunt, sunt Principes, quos in negotiobelli quodammodo *nullum latet secretum*, quibus *omne cor patet & omnis voluntas loquitur*, nam ut dixit Sinestius ad Archadium, *omnium oculis cernunt, & omnium auribus audiunt*: Unde cuncta, quæ occultè machinantur, præsciunt ante invasionem, vel post invasionem perfectè cognoscunt; sciunt quippè, quis bellum promoverit, quo prætextu, ac fœdere colligatos allegerit, quis quantas suppetias tulerit, & si non militibus, pecunijs saltem subvenerit, idque circò jure optimo dixerim eos, *peritos in arte belli & pacis*: Ergo ipsi, & non alij sunt, qui benè norunt, quis & qui Eminentissimorum Cardinalium belligerosi, aut seditiosi inveniuntur: & consequenter, qui ex ipsis indigni sint hîc & nunc occupare thronum Petri. Et cum ex aliâ parte sæpè accidat, quòd Eminentissimi Cardinales habeant plenam notitiam de modestia, literaturâ, & prudentiâ Caij, & simul ignorantiam de ipsius Caij animo belligeroso, & de confœderationibus, & de suppetijs præstitis ab ipso Principibus bellum gerentibus, de quibus omnibus nil Principes latet, quia sua in-

L

terest



terest, & Cardinales latet, quia sua non interest, nec est illorum, sicut est Principum, hæc penetrare; sequitur quod teneantur Sacri Electores, ne cæciter procedant, judicando indignum pro digno hîc & nunc; adire Principes pro notitia eorum, qui hîc & nunc non sunt idonei ad pacem (pro quâ satagunt) stabiliendam, aut quòd saltem teneantur audire eos, dum loquuntur.

17 Nec Sacri Electores ægrè ferre debent, juvari notitiâ habitâ, mediante Exclusiva, ut certificentur de qualitatibus Caij, an conducant ad Pontificatum hîc & nunc; quippè, qui benè norunt obligati nem esse cujuslibet Electoris (maximè quando in eligendo desiderantur qualitates extraneæ facultati, quam profitetur Elector) requirere à peritis in arte, an in eum concurrant (pro quo volunt suffragium dare) dotes & qualitates illæ necessariæ ad rectè exequendum ea, quæ sunt propria illius officij, cui est providendum de persona digniore.

18 Extat ad hoc expressa doctrina B. Augustini de Ancona (non minùs Sanctitate, quàm eruditione conspicui) in *summa de potestate Ecclesiæ, quest. 41. art. 3. ad 1.* ubi postquàm determinaverat *articul. 2.* quòd spectaret ad Papam examinare electionem Imperatoris: in *art. 3.* rogat, utrum ad eundem Pontificem pertineat examinare ipsam personam in Imperatorem ele



electam, ut possit confirmare, vel reprobare electionem factam? & respondet affirmativè, dicendo quòd persona electa debeat examinari immediatè ab ipso Pontifice, & cùm pro parte negativa objectum esset in primo argumento, quòd eligatur ad defendendam Ecclesiam corporali gladio: & examen de aptitudine, & idoneitate ad prædictum effectum magis pertineat ad militem, quam ad Papam, sequitur quòd examen de aptitudine personæ electæ in Imperatorem non pertineat ad Pontificem: Respondet Anconitanus, *quòd ex fama, & testimonio aliorum* (nempè militum, qui sunt periti in arte roboris militaris) *potest Papa examinare, utrum persona electa in Imperatorem idonea sit corporali gladio Ecclesiam defendere, vel utrum sit effeminata & inutilis ad talem effectum.*

Videas, quo pacto Romanus Pontifex sufficiens asseritur, ad ferendum iudicium de qualitatibus electi in Imperatorem, nempè recurrendo ad peritos in arte militari; & rogando ab eis, (sic suadet vox illa *testimonio aliorum*) utrum electus sit idoneus pro militari defensione Ecclesiæ. Si ergo hoc debet facere Pontifex circa personam jam in Imperatorem electam, ut confirmet electionem: Cur id ipsum non faciet Sacer Elector ante electionem, ut possit eligere digniorem? præcipuè quando qualitates constitu-



entes indignum hîc & nunc, sunt omninò extra Sphæram notitiæ, quæ ex urbana, & familiari consuetudine potest haberi, non minùs quàm peritia & robur artis militaris ( quæ debent concurrere in Imperatorem ) sunt extra Sphæram notitiæ Pontificis confirmatoris.

19 Hac etiam de causâ, cùm in cathedralibus Ecclesijs provisio fit per oppositionem de Cannogiâ aliqua Doctorali, vel Magistrali, Capitulares vocem habentes accersent viros doctos in Sacris Canonibus vel Theologia ( respectivè ad Canonicatûs Præbendam ) ut ab eis, tanquam à peritis in arte, fiant certiores de majori merito oppositorum, ne cæciter & injustè suffragium ferant.

20 Et ut intentum convincam, in Salmanticensi Academia toto terrarum Orbe celeberrimâ, ubi inter alias innumeras una existit erecta Cathedra Musicæ, nobili stipendio dotata, cujus provisio pertinet ad Claustrum Universitatis, ad est, ad Doctores omnes capitulariter congregatos: Quoties igitur de electione personæ agitur pro dictâ cathedrâ regentandâ, Doctores illi Sapientissimi ut inter dignos digniorem seligant, convocant peritos in arte Musicæ, qui interfint lectionibus & examini publico oppositorum, à quibus notitiam de digniore exquirant, ne rei fiant  
de cæ-



de cæca & injustâ provisione. Si ergo totius Orbis Magistri, necessariam præfatam diligentiam ducunt, ut recti Judices esse valeant : quid facere tenebuntur, si casus similis evenerit, qui in re morali Salmanticensibus Doctoribus nequeunt anteponi? Judicet timoratus & prudens.

Confirmo hæc omnia ponderando quod teti- 21  
gi supra numero 14 & 15. videlicet quòd communis notitia, quam Eminentissimi Electores habent de cæteris Concardinalibus, versatur ad summum circa nobilitatem, literaturam, prudentiam & modestiam exteriorern &c. quæ profunt ad qualificandum habentem: Sed non versatur circa carentiam vitiorum, hîc & nunc nocivorum, de quibus egi supra numero 9. & 10. Ergo tenentur Electores, omissis eis, quæ profunt, & benè qualificant habentem, esse ultra solliciti, & investigare de vitijs hîc & nunc nocivis, utrum scilicet careat eis ille, quem volunt eligere. Patet hæc consequentia, nam secundum Jura & Doctores *causa, quæ nocet, debet inspici, non quæ prodest.* Barbosa tom. 1. varior. tract. de roma. 40. num. 35. Tunc ultra, ergo postpositis illis qualitibus, quæ profunt, & de quibus habetur notitia per communem consuetudinem, facienda omninò discussio de qualitibus, quæ nocent: maximè quando nociva sunt



potentissima constituendi indignitatem : cum ergo nequeant Sacri Electores habere notitiam perfectam de nocivis hinc & nunc , nisi auditâ Exclusivâ , & expensis illius momentis , sequitur quòd ad illam audiendam , & excipiendam teneantur Sacri Electores.

*Solutio affertur & rejicitur.*

22 **N**ec valet, si respondeat Elector , dicens : ego habeo sufficientem notitiam de bonis , & positivis qualitatibus Caij , quem eligere intendo , non ergo teneor esse sollicitus de qualitatibus nocivis & negativis. Patet consequentia , nam secundum jura æquum est , ut ex qualitatibus , quæ apparent , præsumam bonitatem earum , quæ non apparent : & quod ille , qui habetur bonus ex his , quæ videntur , præsumatur etiam bonus , quoad ea , quæ non videntur.

23 Non inquam valet responsio ; nam licet secundum jura , semper quis præsumatur *bonus* , non tamen præsumitur *optimus* , ut latè patet per Doctores , quos affert , & sequitur Barbosa loco citato , *Axiomate* 37. unde qualitas illa *optimitatis* debet probari , ut benè observat idem Barbosa , num. 4. ex Vincentio Caroc. *singulari* 286. Cum autem eligendus in Pontificem debe-



debeat esse non modò *bonus*, sed *optimus*, vel ad minùs *melior*, debet Elector certificari aut de *optimitate*, aut de *melioritate*. Hæc autem in nostro casu probatur ex carentia qualitatum nocivarum, videlicet quòd Cajus eligendus careat animo seditioso, belligeròso & inquieto, nam istæ malæ qualitates non modò reddunt indignum habentem, sed etiam consequenter destruunt omnem bonitatem; & qui eas patitur, nequit dici optimus nec bonus.

Debet igitur Elector esse sollicitus de absentia qualitatum hîc & nunc nocivarum, quia etiamsi Cajus *bonus* præsumatur, non tamen præsumitur *optimus*, nisi probetur: Et cum ex alia parte, qui eligitur in Pontificem, debeat esse *optimus*, vel ad minùs *melior*, fit consequens, quòd saltem fieri debeat probatio de *melioritate*, per carentiam qualitatum hîc & nunc nocivarum: ad hanc autem probationem maximè & unicè conducit Exclusiva, debet ergo excipi & perpendi ab Electore.

Illud verò, quod adducitur in solutione, de ju-<sup>24</sup>re, quod quis habet ut præsumatur bonus circa ea, quæ non apparent, posset habere locum, in casu, quo Exclusiva (quæ opponit Cajo indignitatem) non interveniret: At Exclufivâ interveniente non relinquitur locus ignorantia, nisi vincibili, & affectatae  
& con.



& consequenter, quæ non excusat à culpâ , ut notum est , unde Elector non potest dicere , non teneor esse sollicitus &c. in præsentia Exclufivæ , absque crimine gravi.

§. V.

*Ex praxi Ecclesiæ ostenditur quòd debeat  
audiri , & excipi Exclufiva ab Ele-  
ctoribus.*

25 **M**Ajorem lucem accipient , quæ diximus à numero 14. si ponderetur id , quod hodie est in praxi , & observantia apud Romanam Curiam : ubi juxta Bullam Gregorij XIII. ( quæ incipit *onus Apostolicum* , tom. 2. Bullarj ) recipiuntur & examinantur Testes super vita & moribus eorum , qui ad regimen assumuntur Ecclesiarum : etiamsi tales ex domesticis Pontificis sint electi , cum tamen Sanctissimus semper eligat ex domesticis in Episcopos , quos bonos præsumit , doctos , prudentes , virtutibus ornatos , & quod pluris est , à se maximè expertos : ex quo sequitur , quòd informationes , quæ de moribus , & vita assumendorum fiunt , aliquid aliud investigent ultra ea , quæ Sanctissimus præsumit , & sunt ei nota in persona electa , illud nempe ,  
quod



quod potuit latere Pontificem , & ejus Ministros :  
 & quod non fuit facile ad ejus notitiam pervenire ex  
 communi consuetudine & familiari convictu. Hoc  
 ergo , quod fugit notitiam Sanctissimi in viro sibi  
 familiari & domestico à se experto , & in bona æsti-  
 matione habito , per examen testium investigatur :  
 Et id ipsum aperit Exclusiva Eminentissimis Electo-  
 ribus circa personam Caj. Ergo sicut sanctissi-  
 mus judicat sibi necessarium , pro Electione Epis-  
 copi particularis Ecclesiæ , investigare & audire , si  
 quæ opponuntur contra personam à se notam , pro-  
 motam & in bona æstimatione habitam : eadem  
 ratione debent Eminentissimi Electores investigare  
 & audire ea , quæ opponuntur Cajo eligendo ad  
 regimen Universalis Ecclesiæ , etiam si Cajo aliàs sit  
 eis notus , & in sana opinione habitus.

Ad hoc ipsum respiciebat antiqua , & lauda- 26  
 bilis primitivæ Ecclesiæ consuetudo audiendi La-  
 icos , tempore , quo aliquis in servitium Eccle-  
 siæ cooptabatur , juxta illud Apostoli *oportet illum testi-  
 monium habere bonum ab his , qui foris sunt.* De quo argu-  
 mento plura in Epistolis ad Timotheum , & ad  
 Titum , & frequentissimè etiam in Sacris Canonibus.  
 Hac de causa Plebis & Populi depositiones re-  
 cipiebantur ante Ordinationes Præbyterorum , &

M

Epis-



Episcoporum , ut videre est in omnibus fere Con-  
 cilijs, quæ per octo priora sæcula fuere celebrata. Con-  
 sulte Pamelium in notis ad Epistolam 68. D. Cypriani  
*num. 2.* Vide Vasquez *tomo 3. in 3. p. disp. 244. cap. 5.* Du-  
 alium de Pontifice 3. p. *quæst. 6.* qui omnes plura  
 afferunt ad intentum.

27 Nec miretur quis , quòd aliqua lateant Sacros  
 Electores circa mores alicujus de Collegio , quæ ta-  
 men uni , aut alteri Principum non sint ignota ; nam  
 ( ultra ea , quæ supra diximus de secreto , quo res bel-  
 licæ geruntur , quarumque penetratio de Principum  
 est officio , non de Cardinalium ministerio ) contin-  
 git sæpè in negotijs minoris Sacramenti , domesti-  
 cos ignorare aliqua , quæ unus extraneus percallet.  
 Hac prænotione instructa Sacrosancta Mater Eccle-  
 sia, dum accingitur Diaconos promovere ad Presby-  
 teratûs Ordinem , Laicum quemque de Populo ex-  
 hortatur , ut pandat & proferat, si quid scit correcti-  
 one dignum in conversatione , & moribus Diaco-  
 norum sibi domesticorum.

Audiamus Pontificem consecratorem : *Quoniam,*  
*Fratres Charissimi,* ( verba sunt Ecclesiæ ) *Reactoris navis &*  
*navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio , vel communis*  
*timoris. Par eorum debet esse sententia , quorum causa communis*  
*existit. Neque enim frustra fuit à Patribus institutum , ut de*  
*electi-*



electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam Populus: quia de vitâ & conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis: & necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat Ordinato, cui assensum præbuerit Ordinando. Horum siquidē Diaconorum, in Presbyteros ordinandorum, conversatio (quantum mihi videtur) probata, & Deo placita existit, & digna (ut arbitror) ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, aut fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus, aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis, & his testimonium Sacerdotij, magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro DEO & propter DEVM, cum fiducia exeat, & dicat. Haec tenus Ecclesia: Pontificale Rom. titulo de ordinat. Presbyt. in monit. ad Populum: Ex quibus verbis aliqua intercepta videram apud Dualium, dicta quest. 6. folio 387. quæ ipse refert ex Concilio Cartaginensi III: Et ut verum fatear, minimè verba inveni, sententiam inveni, & repetitam: Sat nobis autoritas Ecclesiæ verba huiusmodi per os Pontificis proferentis.

Ad quæ verba attentum desidero Lectorem, & 28  
oro ponderet, quòd Ecclesia, postquam affirmat bonam sibi videri, & DEO placitam ordinandi in Presbyterum conversationem, immò se credere, dignum cum existere augmento ecclesiastici honoris: quippè



quæ cum diu familiarem, & domesticum est exper-  
ta in Subdiaconatûs & Diaconatûs ministerio servi-  
entem: profitetur tamen desiderare Populi depo-  
sitionem super moribus ordinandi, de quibus ipsa  
fatetur se sufficienter instructam, rata (& benè) quòd  
possit in promovendo inveniri defectus, ordina-  
tionem impediens, qui Rectorum Ecclesiæ oculatissi-  
mam attentionem fugiat, & tamen ab uno vel alte-  
ro circumstantis Plebis sciatur: Unde concludit:  
*Monco vos, ut liberâ voce pandatis, quid de eorum actibus &  
moribus noveritis, & si quis habet aliquid contra illos (scilicet  
ordinandos) pro Deo, & propter Deum, cum fiduciâ exeat  
& dicat: nam licet ordinandorum conversatio probata & Deo  
placita (meo videri) existat, expetenda tamen est sententia mul-  
torum, quia de vitâ & moribus ordinandi, quod nonnunquam  
ignoratur à pluribus, scitur à paucis.*

29. Iste est casus præsentis Controversiæ. Eminen-  
tissimi Cardinales in procinctu promotionis facien-  
dæ de Cajo ad sacrum Pontificatûs honorem, etiam  
si conversationem ejus per multum temporis sint ex-  
perti, & eam probatam, ac Deo placitam existere  
judicaverint, cum tamen sæpè contingat, quòd de-  
fectus aliquis eligendi, qui ignoratur à pluribus, sci-  
atur à paucis, ut rectè sanctèque procedant, audire  
debent (si non rogant) à Principibus Exclusivam;  
nam



nam etiam si Principes pauci dici possint, penetrare tamen valent defectum animi inquieti, & belligerosi (promotionem Caij hic & nunc impediendam) à toto Sacro Collegio ignoratum, aut saltem à multis de illo: Quoniam ad eos, qui defectum ignorant, dirigitur Exclusiva præcisè: non ad illos, qui defectum talem agnoscunt: hi namque non indigent Exclusivâ: Sat enim ad excludendum est eis ipsa sua animi probitas, & rectitudo.

§. VI.

*Dubium suboritur, & resolvitur.*

**S**ed emergit statim difficultas, nam ex dictis videtur 30 inferri, quòd teneantur Eminentissimi Electores rogare à Principibus, tanquam peritis in arte belli, & pacis, an habeant quod opponant alicui de sacro Collegio; quod quidem durum videtur & impracticabile.

Huic difficultati satisfacere possemus dicendo, nec id durum esse, nec impracticabile; & incipiendo ab ultimo, dico facile esse interrogare ab Oratoribus Principum, qui Romæ resident, si habent aliquid hujusmodi in mandatis: Nec durum debet

M 3

hoc



hoc dici, cum sit conformiter ad laudabilem Ecclesie consuetudinem, per multa Sæcula in electionibus observatam, & nunc retentam quoad substantiam, licet in aliquibus accidentibus variatam: Præterea, durum dici non debet, quod summam reverentiam conciliaret Electoribus, cum sic patefacerent Orbi suam sanam & rectam intentionem in providendo universali Ecclesie de digniore.

32 Sed si durum id videatur, dico permissivè teneri Electores saltem excipere Exclufivam, si adest, & audire eam interponentes, quod est scopus totius huius Sectionis.

33 Quod si de nullo exstiterit Exclufiva, sit iudicium, quod nullus de Sacro Collegio sit hodie idoneus eligi ob defectum animi belligerosi, & inquieti; nam qui tacet, & nulli aliquid opponit, videtur omnes approbare, & fateri nullum ex hoc capite indignum hinc & nunc recognoscere. Quod est conformiter ad hodiernam praxim Ecclesie, nam in Pontificali Romano, immediate post verba supra data, præcipit Pontifici Ordinatore, ut postquam à Populo requisierit, si habent quod opponant Ordinando, *faciat aliquam moram*, & non procedat ulterius, tempus concedens Laicis ad excludendum; & morâ transactâ nulloque reclamante, pergit ad faciendam



endam ordinationem : quia scilicet ordinandus ex Plebis & populi silentio & non oppositione jam censetur idoneus iudicatus à Plebe , dum ei nihil opposuit , cum posset.

Facit ad hoc Glossæ opinio , *cap. licet , 8. q. 1. verbo qui præstantior* ; dum dicit , *aliquem bonum esse , eo ipso quòd malus non sit* ; quorum sensus est mihi talis , quoad intentum , posita Exclufivâ de uno solo , cæteri , qui remanent non exclusi , boni censentur quoad prædictum defectum , dum à Principibus ut indigni non excluduntur.

§. VII.

*Ponderanda sunt momenta Exclufivæ : Et Excludentis qualitates.*

**D**ico quartò , tenentur Eminentissimi Electores <sup>342</sup> postquam Exclufivam exceperint , perpendere qualitates Principis eam interponentis , & motiva , & causas excludendi : Sed præterquam quòd hæc conclusio est conformis rectæ rationi ,

Probatur auctoritate Concilij Tertij Cartaginensis , cap. 40. cuius titulus si esset conficiendus ex verbis Decreti conciliaris , talis debebat esse : *De contradictione Sacularium , ne quis in Episcopum ordinetur* , quod est idem ,



ūdem , ac dicere de *Exclusiva interposita à Laicis* , ne quis  
*in Pontificem eligatur*. Sententia ergo Concilij hæc est,  
*illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum conveneri-*  
*mus, si quæ contradictio fuerit oborta (quæ a talia tractata sunt apud*  
*nos) discutiantur primò personæ contradicentium : postremò illa*  
*etiam, quæ obijciuntur, pertractentur*: Ecce Patres statuunt,  
 quòd cum *Exclusiva* alicui opponitur, ne eligatur, de-  
 beant examinari & causa contradicendi, sive excludē-  
 di, & meritum opponentis; idem decretum p̄ssimis  
 verbis conceptum, invenitur in Concilio Africano,  
*cap. 17. tom. 1. Concilior. & refertur à Graciano cap. illud est, 23*  
*distinctione.*

§ 3 Sed antequam ad aliud gradum faciam , noto  
 pro confirmatione eorum, de quibus suprà à nume-  
 ro 25. & deinceps; Quòd Patres Concilij Carthagi-  
 nensis & Africani fatentur in more esse, & apud ip-  
 sos constitutum, admittere contradictiones Laico-  
 rum adversus Episcopum, etiam electum, ne conse-  
 crationem accipiat; nam hæc est vis illius vocis *ad*  
*eligendum*, quæ juxta Glossam dicti capituli *illud est*, idem  
 valet ac *ad consecrandum* seu *ordinandum*. Si ergo exaudi-  
 untur Laici oppositæ, & contradicentes ne con-  
 secretur Episcopus jam electus, potiori jure audiri  
 debent deponentes, & obijcientes ante electionem;  
 nam ante electionem nullo jure privatur is, cui  
 oppo-



opponitur, & tamen privatur, si opponatur post electionem, & non obstante, quòd privetur, oppositio seu Exclusiva auditur.

Restat ergo, ut pro dilucidatione nostri assumpti, & inhærendo decretis Conciliorum, discutiamus primò personarum contradicentium qualitates, & postea causas seu motiva contradicendi.

Qui deponunt, opponunt, excludunt & contradicunt, sunt Reges, testes omni exceptione majores, & quorum depositioni standum est, ut tenent Doctores ex cap. *Literis*, *Clement. 2. de probation. ibi censemus super sic enarratis plenam fidem adhibendam.* Qui textus etiam si loquatur de Pontifice, procedit etiam, & extenditur ad Principes, qui non recognoscunt Superiorem, ut cum Belluga, Redino, Paulo de Castro, Alexandro, Sozino juniore & Cardinale resolvit Zeballos, *commun. contra com. qu. 879. à num. 176.* Et licet id sit indubitatum, quando Princeps agit de facto proprio (quo pacto procedit textus Clementinæ) tamen secundum plures Doctores, quos allegat, & sequitur Farinacius de *Testibus, quæst. 63 num. 82. & 84.* Barbosa in *collect. ad dictum cap. literis num. 7. & 8.* Principes etiam de facto alieno faciunt fidem, saltem præsumptivè, quousq; scilicet de contrario non constet. Videantur infra dicenda in Solutione argumentorum.

N

Cha-



*Characteristica qualitates Principis de  
Ecclesiâ benè merentis.*

37 **Q**uia autem privilegium hoc dicti capituli *litteris*, cunctis apparet commune Principibus, necessarium duxi pro majori pondere & a pretio Exclusionis qualitates expendere, quibus Principum aliqui digniores reddantur, quod à sacro Collegio eis fides adhibeatur, & assensus præstetur. Sicut enim in firmamento coeli *Stella differt à stella in claritate*, ita in firmamento militantis Ecclesiæ alij alijs Principibus recensentur clariores. Ut autem de majori eorum apud Ecclesiam merito iudicium fiat, indicem subijcio obsequiorum in eam, ut proportione servatâ, ipsorum quoque Principum calculatio & æstimatio fiat.

Ille ergo Princeps habendus est ut plus de Ecclesia benemeritus, qui DEO religiosus, subditis pius, omnibus fidus, multarum sub Sancti Petri tinarâ seu Regno, coronis redimitur Provinciarum.

Qui debellatis Mauris, gentibusque ad Evangelium adductis, plura Regna sub unius Ecclesiæ obedientia ligavit.

Qui messem ditionis suæ mavult mundam,  
quàm



quàm multam , & præligit minorari purgando,  
quàm crescere, libertatem conscientiaè permit-  
tendo.

Qui cum Turca jurato inimico Christi, aut  
pacem inivit unquam, aut inducias admisit ro-  
gatus.

Qui pro Fidei dilatatione exteros alit & instru-  
it, ut Christi præcones facti, infidelitatis cæcitatem  
illuminent.

Qui pro honore Ecclesiastici Chori sic est zela-  
tor, ut crimen reputet absque veniâ, minima eide-  
bitæ reverentiæ violatio.

Qui pro Templorum erectione ac nitore, mini-  
strorumque victu, quod ad unius Regni opulentiam  
sufficeret, ex proprio quotannis liberalis effudit.

Qui, ut Sanctæ & Romanæ Curiaè gloria splen-  
deat, ex Regni arario continuè incrementa mi-  
nistrat.

His igitur generaliter prælibatis, descendo  
ad eas qualitates, quæ, maximè sunt de casu præsen-  
ti. Recensebo aliqua, quæ meo iudicio, animi  
sinceri, pacem ex corde & non fictè expe-  
tentis, sunt signa certissima.



*Nota Principis Pacem publicam  
suspirantis.*

38 **I**lle Princeps maximè videtur audiendus, casu quòd  
pro negotio pacis stabiliendæ det Exclusivam.

Qui fidem servat ad omnes.

Qui à nullo ex confœderatis, fraudibus ac tech-  
nis castrum fortaliciumve abstulit.

Qui provocatus, & non aliter arma sumit, bel-  
lumque gerit solummodò defensivum.

Qui pacem servat ad confinantes.

Qui Vasallos nec excitat, nec armat in pro-  
prios Principes, aut suppetias eis contra fidem præsti-  
tam subministrat.

Hæc & alia his similia, sunt vestigia ad indagand-  
um Principis animum Pacem publicam expeten-  
tem: & juxta ea Sacer Elector exclusivam admit-  
tens discretionem debet facere respectivè.



*Motiva contradicendi seu ad excludendum:  
Formaque Exclusivæ.*

**C**irca motiva & causas contradicendi, seu exclu- 39  
dendi aliquem ab ordinatione, seu ab electione  
passiva (quæ Concilia allegata, secundo loco dis-  
cutienda præcipiunt) judico debere esse tales, ut ob  
eas exclusus indignus omninò reddatur ordinati-  
one. Et in casu nostro, si hodie motiva excludendi fu-  
erint peccata contra publicam pacem, dubio abs-  
que, me hercle, nulla urgentior, seu robustior con-  
tradictio opponi potest, juxta dicta suprà, to-  
to §. 1. & 2.

Nec refert, quòd forma objiciendi, seu contra- 40  
dicendi sit hæc vel illa; Quoniam sive per modum  
quærelæ fiat, sive per modum depositionis, seu de-  
nunciationis charitativæ de crimine, seu de crimi-  
nibus ab eo, cui objicitur, perpetratis. Sat est, ut  
Electior eam recipiens teneatur accusatum excludere:  
Præcipuè si Princeps dixerit, se ex motu proprio, &  
ex certa scientia deponere: Exempli gratiâ, potest  
dicere Princeps, scio Cajum esse belligerosum, &  
seditiosum, ut in causa tertij sum expertus, vel Cajus  
est & fuit mihi infensus, concitavit enim adversus



me Principes ; bella nutrit magno cum dispendio Ecclesiæ, ac meo. Oro vos, ne agatis de eo inthronizando, ne mala, malè fota, crescant. Vel poterit Princeps dicere Patribus Electoribus: Oppono Cajo, ex motu proprio & ex certa scientia tale crimen (designando illud) contra pacem publicam commissum: & simul vobis expono, quòd si inthronizabitur, Ecclesiæ quies omninò exulabit, & cuncta ejus in deterius vergent &c. Unde nil refert, quòd his vel illis verbis Exclusiva formetur, dummodò sit proposita ex causa gravi, & à Principe benè nota, nam in negotijs hujus generis, materiæ momenta, non verborum artificia sunt attendenda, & æstima-

S. VIII.

*Qui excipit Exclusivam, tenetur ei favere.  
Objectiones ponuntur & solvuntur.*

41 **D**ico quintò: Sacer & Eminentissimus Elector, qui Exclusivam à Principe ex motu proprio, & ex certa scientia datam semel excepit, tenetur ei favere suffragio suo: Hæc conclusio deducitur ex dictis tota Sectione: nam ad eam probandam cuncta conspirant, quæ breviter sic resumo.

Emi-



Eminentissimi Electores debent eligere meliorem: melioritas autem est respectiva ad præsentem utilitatem Ecclesiæ: & ut sæpè monui, supponuntur Electores ignorare, quòd Cajus, v. g. careat, vel scateat vitijs vel qualitatibus nocivis hîc & nunc bono publico Universalis Ecclesiæ, & consequenter nesciunt, utrùm sit dignior, vel indignus hîc & nunc eligi in Caput Ecclesiæ: Et ex aliâ parte Princeps, qui dat Exclusivam, cùm sit peritus in arte belli & pacis, est plenè instructus de indignitate Caji præsentis. Ergo Sacri Electores tenentur fovere Exclusivam (quam à Principe exceperunt) dictamen ejus amplectendo, casu quò ex certâ scientiâ & ex proprio motu detur; & consequenter fovere Exclusivam & stare pro illa suffragio suo: Patet consequentia, nam aliâs reputabuntur velle eligere cæciter, aut hîc & nunc indignum & Everforem Ecclesiæ. Revideantur suprâ dicta.

*Objicitur Exclusivæ, quòd Princeps sit  
Testis singularis.*

Sed contra hanc conclusionem objicies primò: <sup>42</sup>  
Squi dat Exclusivam de Cajo, est Testis singularis  
de ejus indignitate: atqui secundum jura, testis singu-  
laris



laris non facit plenam fidem, & probationem. Ergo qui excipit Exclusivam, non tenetur ei favere, maxime cum vergat in præjudicium tertij, nempe Caij. Hoc argumento multa tangit, à quibus me breviter expediam, allegando communes doctrinas & Doctores.

43 Respondeo primò, negando Principem in negotio Exclusivæ dicendum esse testem: Potius enim dicendus est Judex, nam dando Exclusivam, loquitur tanquam peritus in arte belli & pacis, juxta dicta suprà numero 16. Peritus autem in qualibet arte potius est Judex quàm testis, ut ex Bartolo, Decio & Mascardo docet doctissimus D. Ioannes Angelus Bosius, *titulo 10. varior. tract. moralium, numero 228. & 250.* Unde consequenter ad hoc non est necesse, quod duo, vel tres periti concurrant, sed sufficit unus tantum: Et iste unus relevatur à Juramento, secundum Doctores, apud eundem Bosium *num. 249*: Signum ergo, quod peritus non reputatur testis, sed Judex: & consequenter Princeps in casu Exclusivæ non debet dici testis propter memorata.

44 Respondeo secundo, (dato gratis & non concessio, quod Princeps in negotio Exclusivæ dicendus esset testis, & non Judex) quod Princeps non est testis utcumque, sed omni exceptione major: & ta-



& talis, quod faciat plenam probationem, saltem præsumptivè, juxta dicta num. 36; Videatur Sotus lib. 5. de justit. quæst. 7. art. 2. qui cum in corpore articuli rogasset, *Utrum unius autoritas aliquando præstare possit plurium testimonio?* Respondet affirmativè, loquendo de Imperatore, ex lege omnium, *Codic. de Test.* Videatur etiam Azor tom. 3. lib. 13. quæst. 8. ubi dicit, quod solum testimonium summi Pontificis sufficit ad condemnandum aliquem: Monui autem supra numero 36. quòd omnia, quæ jura quoad hoc concedunt summo Pontifici, procedunt etiam in Principe non recognoscente superiorem: Et P. Thomas Sanchez lib. 5. Consiliorum cap. 5. dub. 10. ex stylo Curiaë extendit hoc privilegium etiam ad Eminentissimos Cardinales: Et P. Paulus Layman lib. 3. tract. 6. cap. 4. de probationibus, num. 6. ex Navarro & alijs, affirmat, quòd in casibus, in quibus agitur de impediendo peccato, ut in denuntiatione inhabilitatis ad Ordines, & ad beneficia ecclesiastica, sufficit testimonium unius testis idonei, dummodò parti non sit jus acquisitum. Ergo cum Exclusiva agat de impediendo malo Ecclesiae, & Cajus exclusus nullum jus acquisitum habeat, sequitur secundum Layman, quòd non solum Princeps, sed alius vir idoneus Principe inferior sufficiat ad testificandum de impedimento inha-

O

bili-



bilitatis ad ordinem summi Pontificatus; Ergo potiori jure hoc procedit in Principe superiorem non recognoscente, qui (ex traditis à Soto, Azorio & Thomâ Sanchez) facit plenam fidem, etiamsi sit Testis singularis.

45 Sed pro coronide hujus negotij, & ut evacuata appareat difficultas argumenti, consulatur Farinacius *de Testib. quest. 63.* ubi pluribus Authoribus, de more, allegatis, affirmat numero 100. standum esse assertioni Principis factæ ex motu proprio, & non ad instantiam alterius. Et numero 101. ait, quòd si Princeps deponat ex certa scientia, facit plenam fidem de facto alieno. Et numero 102. inquit, quòd etiam habet locum in præjudicium tertij: Ex quo numero 185. affirmat consequenter, quòd in spiritualibus omninò standum est assertioni Pontificis, etiam ad præjudicium tertij: non tamen in profanis. Ex quo infero ego, quòd si in profanis non est standum assertioni Pontificis, quia profana non sunt de Sphera & facultate summi Pontificis, etiamsi alias in spiritualibus Pontifex plenam fidem faciat ad præjudicium Tertij. Ergo meliori jure Sacer & Eminentissimus Elector, qui Exclusivam à Principe excepit, debet stare testimonio ejus, & non testimonio aliorum Concardinalium circa idoneitatem, vel indignitatem Caij:  
Pa-



Patet consequentia , nam res bellica respectu Cardinalium est materia profana & ex natura rei omninò eis aliena: Respectu verò Principis est materia intranea, propria, domestica & familiaris, ergo testimonio ejus danda est omninò fides quoad negotium indignitatis Caij, ob animum belligerosum, etiamsi alteri Concardinali non sit fides adhibenda super hoc negotio.

*Objicitur Exclusiva, quòd Princeps in ea munus subeat Testis simul ac Denunciatoris.*

**O**bjicies secundò, esto quòd Princeps dum exclu- 46  
dit, subeat munus Testis omni exceptione majoris, & quòd debeat ei plena fides, etiam ad præjudicium Tertij: in casu tamen Exclusivæ dicta non procedunt. Ergo: Antecedens probatur, quia Princeps in propositione Exclusivæ est denunciator criminum Caij contra Pacem Publicam; Ergo nequit esse testis de talibus criminibus contra Cajum: Patet hæc consequentia, quia secundum jura (à quibus allegandis supersedeo, utpote quæ notissima) nemo potest simul esse testis & accusator.

Respondeo negando Antecedens, Ad probationem



tionem nego consequentiam ; nam secundum Doctores multi sunt casus , in quibus denunciator admittitur in testem , puta quando agitur de malo vitando , verbi gratiâ , ne matrimonium cum impedimento contrahatur , ut ex Cardoso , Farinacio , & Fufco resolvit Barbosa *in collect. ad lib. 2. decretal. titulo 20. de Testib. cap. in omni negotio. numero 9.* & Layman dicto cap. 4. de Probation. numero 3. *versu. his adde :* post Abbatem , Mascardum & Farinacium : videatur idem Layman *sect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 4.* quod est de denuntiatione fraterna , *num. 9.* ubi allegat plura jura : idem tenet Sanchez de matrimon. *lib. 1. disp. 71. num. 4.* In casu ergo nostro agitur de malo Ecclesiæ vitando , ut notū est , igitur potest Princeps in eo simul esse Testis & Denunciator.

48 Prætereà in causis non infamantibus , creditur Officiali denuntianti : & officialis tunc subit munus simul denunciatoris & testis , ut docet Barbosa *hæc cita o num. 11. v. r. sculo, octavo à limita,* sequendo Nelli *de Testib. num. 85. cap. 18.* & Layman citat Mascard. & Farinac & Lessium *lib. 2. de just. cap. 30. dub. 4. num. 32;* cū ergo causa , ob quam hîc & nunc Cajus excluditur , sit propria Regum , puta bella excitare , auxiliares manus conferre , foedera inire , quæ regiam opulentiam redolent , & potentiam ; non potest dici infamatoria talis causa , immò in historijs legimus , multos in similibus infirmitatibus gloriatos , si infirmitas debet



debet audire, quod tot conatibus & sumptibus ad-  
piscitur; Et cum ex alia parte Princeps sit officialis  
publicus de re militari, sequitur, quod non sit contra  
jura, Principem quoad Exclusivam esse simul denun-  
tiatorem & Testem.

Præterea in causa difficilis probationis, quia nego- 49  
tiū, de quo agitur, tale est: tunc unus idoneus vir suffi-  
cit ad fidem faciendam: sive vocetur testis, sive denun-  
tiator, ut docent Felinus, Antonius Gabr. Mascard.  
& Cenedo quos allegat & sequitur Barbosa loco ci-  
tato. *num. 12. versu, decimo limita.* Materia autem ob  
quam interponit Exclusivam Princeps, difficilis est  
probationis, quia summo secreto peragitur, ut vi-  
dimus supra numero 15. Ergo in ea præstanda est fi-  
des Principi, sive testem, sive denuntiatorem cum  
appellent.

Denique verba & sententiam refero Joannis 50  
Francisci à Sancto Felicio *tomo 1. decis. decis. 89. num. 4.*  
ubi hæc habet: *Et licet quis non possit in judicio gerere perso-  
nam accusatoris & testis, potest tamen gerere personam informa-  
toris & testis eorum, quæ consistunt in facto: pro quo citat  
afflictum: & capientes ( id est ministri illi, quibus uti-  
tur Jud. x ad capturam delinquentium ) si non sint viles  
personæ, plenam probationem facient, ut de cursoribus Curie Archie-  
piscopatus, tenet Genuensis, in praxi Archiepiscop. capit. 8.*



*Idem de Barricelist tenuit Josephus in decision. Lucensi. num. 4. versu, isti ergo: tE si Satellites essent de majoribus, & in capite: & fortius si habent aliquam jurisdictionem, essent idonei testes. Paulus Granut. theorem. 19. num. 11. hæc S Felicius. Si ergo majores Satellites, præcipuè si jurisdictionem aliquam habent, immò & ipsi Barrizelli possunt gerere personam informatoris & testis secundum hunc Authorem, & ab eo citatos: Cur (indulgeant Principes; nam argumento provocatus, ut æquitatis jura defendam, ex imis ad summa consurgo) cur inquam id ipsum denegabitur Principi, quando informat Sacros Electores de crimine Caij? quod benè novit.*

51 Addo, quòd jura prohibentia, ne quis simul subeat munus denunciatoris & testis, procedunt de denunciatione judiciali, non de canonica & charitativa, qualis est Exclusiva. Nam per Exclusivam non agitur de criminis vindicta, sed solùm de damno vitando quod imminet universali Ecclesiæ: immò & de emendo Exclufi. Videantur D. Thomas 2.2. quæst. 33. art. 1. 3. & 6. Silvester verbo denunciatio in principio: Sotus de secreto, membro 2. quæst. 5. & de just. lib. 5. quæst. 5. art. 1. Layman l. b. 3. tract. 3. part. 1. cap. 4.

52 Hæc dixi absque eo quòd velim recedere à suprà stabilitis, nempè quòd Princeps excludens hodie

ex



ex motivo assignato, potius est Judex dicendus quam testis, utpote peritus in arte, de qua agit per Exclufivam: Nec fimiliter quando dico, quod Princeps depouens ex motu proprio & ex certa scientia facit plenam fidem in præjudicium Tertij; non ob id recedo à dictis Sectione præcedenti, eum nempe exclufum præjudicium pati ratione Exclufivæ. Repetantur ibi dicta, quibus standum est: nam præfentia ad maiorem evidentiam imbecillitatis argumentorum appofui.

*Objicitur Exclufivæ, quòd privet Ecclefiam jure providendi ei de meliore.*

**O**bjicies tertio: Ecclefia habet jus acquifitum, 53 & eft in poffeffione, ut debeat ei provifio de meliori; fed fi admittitur, quòd Electores teneantur excipere Exclufivam, & eam fovere, defraudabitur Ecclefia dicto jure. Ergo: Minor probatur; nam potefit contingere casus, quod unus Principum excludat digniorem, & alius digniffimum &c. in ifto casu electio paffiva reducetur neceffario ad minus dignos, quod eft contra jus Ecclefie. Ergo.

Refpondeo negando minorem, tantum enim 54 abeft



abest, quòd Exclusiva privet Ecclesiam jure, ut ei provideatur de meliori, ut potius sit dicendum, prædictum jus roborari mediante Exclusiva: nam hoc jus totum consistit, ut detur Ecclesie dignissimus Pastor, & lupi arceantur à loco Pastoris: Exclusiva autem cum lupos detegat (qui sunt in vestimentis ovium) ne decipiantur Electores formâ exteriori ementitâ, & decepti lupum subrogent in locum Pastoris, ac inimicum salutent, rati se venerasse Patrem, sequitur quòd Exclusiva, prout à nobis explicata non solum roboret jus Ecclesie providendi ei de meliori, sed etiam est unum de præcipuis obsequiis, quæ valet Princeps exhibere Ecclesie, quatenus scilicet relegat ab electione passivâ eum, qui in veritate est indignus, tametsi exteriùs dignus appareat.

55 Ad probationem minoris Respondeo, admit-  
tendo casum, quoad numerum exclusorum; non  
quoad majorem dignitatem eorum; quia repug-  
nat in terminis, quòd ille sit dignus, qui justis de cau-  
sis excluditur, ut dixi Sectione præcedenti à numero  
. & tunc dico, quod casu, quòd duo vel tres &c. ab  
uno vel à pluribus Principibus excludantur, electio  
debet fieri de meliori, factâ comparatione inter eos,  
qui remanent non exclusi: Et qui inter eos dignior  
fuerit inventus, ille absolutè est, & fuit dicendus di-  
gnior



gnior, supposito quòd exclusi revera non erant digni  
eligi in his circumstantijs temporum, ut dixi agendo  
de præsentì indigentia & necessitate Ecclesiæ.

*Objicitur Exclusiva, quòd eà admissâ Ele-  
ctio non erit juxta Sacrum Concilium  
Tridentinum.*

**O**bjicitur quartò, Sac. Concilium Tridentinum 56  
*sess. 24. de Reformat. cap. 1 præcipit Electoribus ec-  
clesiasticis, ne in Electionibus ferantur precibus, aut  
humano affectu, ibi, quos digniores vel Ecclesiæ magis uti-  
les judicaverint, non auidem precibus, sed eorum exigentibus  
meritis &c. sed si Eminentissimi Electores admittunt  
& fovent Exclusivam à Principe interpositam, fit  
consequens, quòd in electione ferantur humano  
affectu & precibus Principis Exclusivam dantis;  
Ergo.*

Respondeo ideò Concilium prohibere Electo- 57  
ribus, ne precibus aut humano affectu ferantur in  
electionibus, ut faciliùs & expeditiùs possint suf-  
fragium ferre habitâ ratione majoris meriti, per or-  
dinem ad utilitatem Ecclesiæ: Exclusiva autem, ut  
sæpè dixi sectione præcedenti, non agit positivè de  
electione, sed de præambulo ad eam, nempe de  
P mani-



manifestatione & apertione indignitatis occultæ alicujus. Nec preces Principis in eum finem diriguntur ut aliquis eligatur determinatè, sed solùm respiciunt, ut determinatè indignus non eligatur; Et ad hoc manifestat Electoribus indignitatem ejus latentem. Quare non dubitaverim dicere, quòd **Exclusiva** infervit, & facit pro intento & mente Concilij, quatenus juvat, ut Electores habeant perfectam & veram notitiam de dignis, quod facit removendo ab eis ignorantiam de indignitate occulta alicujus personæ, quod potest dici adjutorium negativum, pro subsequenti electione de meliori, quod Sacri Canones, & Concilium exoptant. Ex quo videtur dicendum quòd Electores Eminentissimi teneantur excipere **Exclusivam** ante electionem, ut servare possint in electione ipsa, quod Concilium Tridentinum injungit.





§. IX.

*Qui Exclusivam exceptit , tenetur eidem fa-  
vere , aliorum etiam suffragijs ,  
si potest.*

**D**Ico sextò , favor ille , quem Eminentissimus 58  
Cardinalis Exclusivam excipiens, tenetur ei præ-  
stare, non sistit in ipso, ita ut suo tantum suffragio de-  
beat stare pro ea: sed ultra se extendit , & obligat exci-  
pientem , ut eam ( si absque magno incommodo  
potest ) proponat alijs Electoribus , repræsentan-  
do Exclusivam , & momenta ejus, ad finem exclu-  
dendi indignum , & liberandi Ecclesiam à vexatio-  
ne, quæ ei imminet ex indigni inthronizatione.

Probatur conclusio doctrinâ D. Thomæ 2. 2.  
quæst. 70. art. 1. in corpore, ubi postquam determina-  
vit, eum qui scit delictum alicujus vergens in dam-  
num notabile Tertij, teneri ferre testimonium pro  
ejus liberatione , casu quo à superiore sit rogatus:  
Subdit, *Et si ejus testimonium non requiratur , tenetur facere,  
quod in se est , ut veritatem denuntiet alicui , qui ad hoc pro-  
desse possit : dicitur enim in psalmo 81. eripite pauperem,  
& egenum de manu peccatoris liberate : Et Proverb. cap. 24.*



*Erue eos, qui ducuntur ad mortem: ¶ Rom. 1. dicitur, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, ubi dicitur Glossa, consentire est tacere, cum possit redarguere. Hæc D. Thomas.*

- 39 Ex quo sic argumentor, ille qui potest liberare innocentem à damno notabili ei imminente, tenetur secundum D. Thomam facere quod in se est, ut cum liberet, & similiter tenetur ad denuntiandam veritatem alijs, qui ad liberationem prodesse possunt. Ergo cum damnum notabile immineat Ecclesie innocenti ex Caij indigni inthronizatione, tenetur Elector, qui novit ejus indignitatem per Exclusivam, eam alijs Electoribus aperire, qui possunt pro Ecclesie liberatione prodesse. Patet consequentia, quia aliàs non faciet, quod in se est, nec pauperem Ecclesiam liberabit de manu peccatoris; & tacendo, cum posset redarguere, consentiet delictis indigni inthronizati, reusque erit mortis, non secus ac ipse indignus. Aut ergo dicendum est Electorem, qui excepit Exclusivam, non posse eam alijs explicare, aut quod, si potest, tenetur eam manifestare: Quod si taceat, & non explicet, dignus erit secundum D. Thomam eadem poenâ, quam indignus merebitur vexando Ecclesiam inthronizatus, quia tacendo, consentit delictis ejus, quæ posset impedire loquen-



loquendo, & manifestando periculum Ecclesiae illis, quibus fas esset tanto damno Ecclesiae suffragijs se opponere proprijs.

Præterea in solutione ad secundum, docet 3. 60  
 Doctor, quòd ea, quæ pertinent ad corruptionem multitudinis, sive spirituales, sive corporales, teneantur quis statim postquam ad ejus notitiam pervenerit, manifestare illa, vel testificando vel denuntiando ei, qui prodesse possit. Et addit D. Thomas, quòd debet hoc facere, etiamsi secretò ei talis notitia sit commissæ, citra tamen Confessionem sacramentalem. Subscribunt Angelico Præceptori Cajet. *ibidem*. Sotus *lib. 5. de just. quæst. 5. art. 1.* Navarrus *in Enchiridio cap. 18. num. 54.* Reginaldus *lib. 24. num. 55.* secutus Petrum Navarra Petrus Hurtado de Mendoza *2. 2. disp. 163. §. 54.* Castro Palao *de virtutib. tract. 6. disp. 3. puncto 14. num. 4.* qui citat Manuelem Saa, Lessium, Thomam Sanchez. Videatur etiam P. Franciscus Suarez *de charit. disp. 8. sect. 6. num. 6.* in fine: ubi reddens rationem, quare necessariò denuntiandum sit Superiori delictum vergens in damnum communitatis, inquit, quia scilicet Superior melius quàm alius damno imminenti occurrere potest: id ipsum repetit Suarez ex Gersone tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 9. num. 8. propè finem. Cùm ergo nulli alij existant, qui melius possint occurrere

P 3 malo



malo Ecclesiæ imminenti ex Caij inthronizatione, quàm cæteri Concardinales, sequitur quòd Eminentissimus ille, qui notitiam de damno per Exclusivam obtinuit, teneatur eam denuntiare, si potest, cæteris Electoribus, etiamsi secretò talem notitiam habuerit.

61     Secundò probatur conclusio ratione: nam secundum omnes Doctores, quilibet de populo jure naturæ tenetur adhibere omnem diligentiam possibilem, ut avertat à communitate malum ei imminens: Sed pro impediendo malo Ecclesiæ imminente ex Caij indigni inthronizatione nulla diligentia efficacior, quàm certiores facere Electores de tali indignitate ut abstineant ab ejus electione: Ergo aut dicendum est prædictam diligentiam esse impossibilem, aut concedendum, quòd qui talem notitiam per Exclusivam obtinuit, debeat illam adhibere.

62     Tertiò probatur conclusio à paritate rationis ex communi sententia apud doctissimos Alumnos Societatis JESU (& est desumpta ex doctrinâ D. Thomæ allegata num. 58. & 60) hi igitur Authores agentes de denuntiatione charitativâ, quando scilicet quis denuntiat Prælato, ut Patri, crimen alterius subditi: Postquam statuunt teneri Prælatum denuntiationem excipientem, secretò habere crimen denuntia-

tia-



narum, & nullatenus posse illud alicui aperire: addunt, hoc intelligendum esse in casu, quo Prælati se solo possit delictum vel corrigere vel impedire, *secus verò* (verba sunt Patris Layman) *si solus non possit; nam tunc manifestare debet alteri personæ, quæ idonea sit ad remedium adhibendum, & si una non sufficiat, duabus vel pluribus, quatenus necesse esse videbitur ad criminis emendationem, quousque tertiæ personæ, aut communi bono provideatur:* ita Layman lib. 3. de just. tract. 6. cap. 3. quod est de Actore & Accusatore, num. 5. vers. Quarto, in denuntiatione &c. Palao dictâ disp. 3. de charit. puncto 11. num. 5. Ludovicus de Torres 2. 2. quæst. 33. disp. 89. dub. 4. circa finem: Grana-dos 2. 2. Controv. 3. de charit. tract. 12. disp. 8. circa finem: est etiam Francisci Suarez, ubi supra.

Ex qua doctrinâ sic argumentor à paritate 63  
 rationis: Prælati excipiuntur Pater & secretò denuntiationem de crimine subditi, quod solum secundariò vergit in damnum communitatis (nam primariò vergit in damnum peccantis) si solus non potest ei occurrere, tenetur omnes eas personas participes facere de crimine, quas necessarias judicaverit esse ad impediendum damnum, secundariò tantum resultans contra communitatem: Ergo qui non secretò, necut Pater excepit per Exclusivam denuntiationem de Caij indignitate (directè, primò  
 & per



& per se vergente in damnum Ecclesiæ) cum solus non possit occurrere malo Ecclesiæ imminenti, ex Caj inthronizatione, potiori jure tenebitur certiores facere alios Electores, referendo Exclusivam, & ejus momenta, ut eorum suffragiis adjutus, valeat occurrere malo Ecclesiæ, aliàs non faciet quidquid in se est pro liberandâ paupere Ecclesiâ de manu peccatoris, ut dicebat D. Thomas, vide illum num. 58.

*Solutio rejecta: Et quòd charitativa  
Correctio præcedere hîc non debeat,  
ostenditur.*

64 **R**espondere posset aliquis, excusando Electorem Exclusivam recipientem ab onere eam Electoribus intimandi, dicendo, quòd cum ipse nunquam Cajum correxerit charitativè, de crimine in propositione Exclusivæ manifestato, fit consequens, quòd non teneatur indignitatem Caj Electoribus pro palare, dicente Christo Domino Matth. 18. *si peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; quod si te non audierit, dic Ecclesiæ: malè & injustè diceretur Ecclesiæ, seu Electoribus peccatum, quod ante secretò non fuit charitativè correctum.*

65 Sed contra est, quòd doctrina evangelica de corre-



correctione fraternâ ante denuntiationem, non habet locum in peccatis, quæ primò & per se sunt contra communitatem; & sic in illis correctio non debet præcedere denuntiationem, ut expressè docet D. Thomas 2. 2. *quest.* 33. *art.* 7. *in corpore*: Qui in solutione ad 3. benè notat, Christum solùm dixisse, *si peccaverit in te Frater tuus*; non verò dixisse, *si peccaverit in alios*, vel in Ecclesiam: & Pater Franciscus Suarez ex S. Augustino notavit hoc ipsum *de Relig. tomo 4. lib. 10. cap. 8. num. 4. & 7.* Videantur Reginaldus, Becanus & Petrus Hurtado, citati suprâ numero 60.

Præterea, correctio charitativa & fraterna, ex<sup>66</sup> communi Doctorum sententiâ, solùm debet adhiberi quando adest spes fructûs & emendæ, quæ spes in delictis vergentibus contra communitatem, debet esse certissima & præsentanea, & sufficienter providens, non solùm in præsens, sed etiam in futurum, ut ex Richardo docet P. Suarez *dist. 8. de charit. sect. 6. num. 6.* qui paucis interjectis subdit, *in prioribus peccatis* (nempe contra communitatem) *talem spem esse rarissimam, & ideò moralem regulam esse, in illis posse sumi initium à denuntiatione, præcipuè quia qui in hac parte incidunt, rarissimè corriguntur*: verba sunt Suarez. Si ergo spes de emenda rarissimè habetur in peccatis contra communitatem, nec est fructus probabiliter exspectandus à

Q cor-



correctione emittenda est correctio, & deveniendum ad denuntiationem.

67 Sed demus, quod sit probabilis spes emendæ, in tali casu etiam erit probabile damnum communitatis; nam affirmativum probabile arguit negativum esse etiam probabile. Tunc sic; sed damnum probabile communitatis (secundum omnes Doctores) præferendum est bono privato delinquentis, quia dicunt, non esse justum exponere periculo communitatem, ut bonum privatum delinquentis sit liberum à periculo: Ergo. Immo addit Reginaldus, & benè, numero 56. versiculo consequenter, cum Petro Navarra, & Gabriele, quod periculum probabile Reipublicæ est vitandum, cum damno certo personæ privatæ non delinquentis. Ergo potiori jure, cum damno privatæ personæ delinquentis.

68 Claudat negotium, & finem discursui nostro imponat P. Franciscus Suarez t. m. 4. de Relig. lib. 10 cap. 8. num 8. ubi agendo de peccati contra communitatem denuntiatione facta Prælato, ut Patri, inquit, *in isto casu proximus propriè non infamatur, neque intervenit propriè materia correctionis, sed solus defensionis, & ideo cessat ratio ordinis charitatis.* Notentur hæc verba P. Suarez, quæ omnem evacuant difficultatem; nam qui exceptâ Exclusivâ denuntiat alijs Electoribus indig-



indignitatem exclusi, facit in defensionem Ecclesie & communitatis, quod absque dubio est de jure naturæ, & consequenter præponitur his, quæ sunt de præcepto positivo charitatis.

*Solutio alia adducitur, & ever-*  
*titur.*

**R**espondere aliter posset Sacer Elector, qui Ex-69  
clusivam excepit, excusando se teneri eam cæ-  
teris Electoribus manifestare, ratione diffamati-  
onis, quam incurreret ille (contra quem Exclu-  
siva dirigitur) apud eos, quibus Exclusiva nota  
fieret; præcipuè cum Excluso impingat indigni-  
tatem.

Sed contra est. Primò, quia, ut dixi suprà, nume-70  
ro 48. non est materia diffamationis Cajo, dicere  
de eo, quòd sit ad Principes partialis in negotio  
belli, à quâ partialitate oritur ejus indignitas hìc  
& nunc, juxta sæpè inculcata totâ hac Sectione.  
Secundò, quia dato, quòd esset materia diffamati-  
onis, & quòd de factò Cajo per apertionem alijs  
Electoribus factam de ejus indignitate diffamaretur,  
nil refert, cum meritò & justè diffametur ob  
causas contra quietem publicam à se datas, quæ tali

Q<sub>2</sub>

sunt



sunt poenâ dignæ: Prædicta autem diffamatio non venit comparanda cum damno Ecclesiæ imminente, unde parvi facienda est, & malo occurrendum impendenti, ut ex Soto, Petro Navarra & alijs probat Reginaldus *num. 55*. & Suarez *de charitate disp. 8. sect. 6. num. 5*. Præterquam quod, ut optimè advertit ipse P. Suarez loco à nobis citato numero 68. non intervenit propriè diffamatio, quando denuntiatio de crimine fit per modum naturalis defensionis, ut in nostro casu, etiamsi se habeat consequenter & materialiter. Unde ob metum non denigrandi famam Caij, Sacer Elector, qui adversus eum Exclusivam excepit, minimè excusabitur ab onere eam alijs

Electo-  
ribus expli-  
candi.





*Exclusiva à nullo fuit Pontificum  
proscripta.*

**R**estat hoc discutiendum pro exactâ nostri dicta-<sup>71</sup>  
minis resolutione; & quamvis aliqualem dili-  
gentiam adhibuerim, ut si quid aduersus Exclufi-  
vam in Sacris Concilijs vel Canonibus extaret, fa-  
teor me nil inuenisse, nisi in Bulla Gregorij XV. quæ  
agit de electione Pontificis, ubi inueniuntur aliqua  
verba primâ facie ei aduersantia; pro quorum de-  
claratione, & antedictorum confirmatione, pla-  
cet ponderare illa.

Gregorius ergo XV. Bullâ 13. incipiente *Æterni  
Patris*, clausula 18. sic habet. *Cardinales prætereâ omninò  
abstineant ab omnibus pactionibus, promissionibus, intendi-  
mentis, condictionibus, fœderibus... minis, signis, contrafig-  
nis suffragiorum seu schedularum, aut alijs tam verbo, quàm  
scripto, aut quoquo modo dandis aut petendis, tam respectu in-  
clusionis quàm exclusionis, tam unius personæ, quàm plurium:  
aut certi generis (veluti creaturarum) aut huiusmodi: seu de suffragio  
dando, vel non dando &c. ubi extant illa verba: quàm exclusi-  
onis; & illa de suffragio non dando, in quibus Exclusiva  
damnatur & prohibetur.*

Q 3

Opor-



72 Oportet imprimis Bullæ mentem aperire , ne eam videamur exponere voluntariè : Et primo loco certum est ex textu ipso , quòd Bulla non loquatur de Principibus , sed tantùm de Cardinalibus ; Unde Principes non sunt prohibiti Exclufivam dare : de quo nos tota Sect. 1. Secundò est etiam certum , quòd Bulla non prohibet Eminentiffimis Cardinalibus excipere & fovere Exclufivam à Principibus datam , de quo nos tota hac Sectione 2. Hæc sunt de quibus Bulla non agit , sed descendendo ad illa , super quibus Bulla procedit , & fupposito , quòd æqualiter loquitur de inclusione ac de exclusione , prius explicandum duxi , quid circa inclusionem prohibeat , ex quo patefiet illicò quid circa Exclusionem damnet.

73 Prohibet ergo Bulla , ne Eminentiffimi Cardinales pactationibus , foederibus &c. apud se statuant , quòd eligendus debeat esse de determinata natione , aut Regno , v. g. Romanus , aut Florentinus , vel de tali creatione v. g. de creaturis Innocentij X. aut Urbani VIII : Patet hoc ex illis verbis , *certi generis , veluti creaturarum , aut huiusmodi* : quod quidem sanctiffimè est provisum , quia in tali electione ducerentur humano affectu Electores ( quod Tridentina Synodus execratur ) dum contra debitum sui muneris  
depro-



de providendo Ecclesiæ de meliori, postponerent merita eorum, qui vel non sunt Romani, vel non sunt Creaturæ Innocentij, & statuunt inter se creare Romanum & non alium, aut creaturam Innocentij, & non alium de alterius Pontificis creatione, contra justitiam distributivam, & commutativam, quare respective tenentur ponderare merita omnium de Conclavi, & de digniore providere Ecclesiæ.

Nec excusationem in tali casu haberent Electores confœderati, etiamsi eligerent meliorem de natione Romanâ, vel de creaturis Innocentij: Primò, quia talis non esset melior de toto collegio, ad quod tenentur. Secundò, quia dato, quòd fortassis esset ille melior de toto Collegio, per accidens hoc esset Electoribus, qui tunc solùm ducerentur ex motivo affectionis ad nationem Romanam, vel ad creaturas Innocentij; & Electio in tali casu per se esset injusta, etiamsi materialiter esset de meliori; siquidem concursus eligentium non erat, quia dignior, sed quia Romanus, aut quia creatura Innocentij. Quare de causâ in talibus pactionibus, & fœderibus de hoc semper interveniret culpa & acceptio personarum, ut docet D. Thomas 2. 2. *quest. 63. art. 1. in corp. & ad 2.* & cum eo Doctores omnes: & Electores ducerentur humano affectu ad nationem, vel ad Pontificem  
Crea-



Creatorem; quare sanctissimè in id fulminat Gregorius dictâ Bullâ.

75 Explicatâ voce *inclusionis*, facile est intentum Bullæ circa *exclusionem* aperire. Prohibet ergo Bullæ ne Electores pactioibus, fœderibus &c. apud se statuant excludere aliquem, vel aliquos, quia est vel sunt de tali natione v. g. Florentina: vel de creatione tali v. g. Urbani; quia in tali casu Electores ducerentur humano affectu, nempe odio nationis Florentinæ, vel Creatoris Urbani: & postponendo merita exclusorum prædictarum nationis & creationis, facerent contra justitiam & contra bonum Ecclesiæ ex odio ad nationem vel creatorem, ut vice versa dixi de inclusione.

76 Apparet ergo Exclusivam, de qua nobis sermo, non esse comprehensam in dictâ Bullæ clausulâ 18. quia clausula agit adversus Exclusivâ cæcam, injustam & Ecclesiæ nocivam. At nostra Exclusiva est oculata, justa & Ecclesiæ prospicua, cum tota sit ne inthronizetur indignus, ac nocivus Ecclesiæ. In quo qui Exclusivam interponit, & qui eam excipit ac fovet, cum non ducantur humano affectu, sed zelo Justitiæ & boni publici, nec postponant merita, sed demerentem relegent: obsequium DEO præstant & Ecclesiæ, reddunturque de utroque benè merentes.

§. XI,



*Exclusiva approbata videtur & concessa.*

CUM nullibi Exclusivam nostram interdictam in- 77  
veniam, & ex alia parte eam sæpè practicatam au-  
diam: videtur dicendum, quod ipsa tacitè approba-  
ta sit & concessa.

Probatur; multoties extitit Exclusiva à Principi-  
bus interposita, & tamen nullus Pontificum, qui in  
minoribus constituti testes oculati de eâ fuere, post ad  
Pontificatûs apicem assumptus eam aut damnavit,  
aut ut illicitam reprehendit, aut ut non expedientem:  
Videtur ergo approbata & concessa. Patet conse-  
quentia; nam secundum jura & Doctores, sciens  
actum, quem contradicendo poterat impedire, si  
non contradicit, videtur eum approbare *leg. sæpè, ver-  
su, sed scientibus, & vers. cui autem. ff. de re judicata*: quem  
textum ut magistralem & rotundum allegat Jason *leg.  
quæ dotis num. 76. ff. solut. Matri*, Marcellus dicta *leg. sæpè*.  
Videatur Craveta, *conf. 237. col. 2. versu Tertio*, qui alle-  
gat plura jura & Authores, etiam quoad actus perjudi-  
ciales: Ergo si Pontifices in suis creationibus Exclu-  
sivam, quo ad aliquem, viderunt, & nullus posteam  
improbavit, cum posset: Videtur dicendum, quod

R

omnes



omnes Pontifices, quotquot de illius interpositione testes oculati fuerunt, eam approbarint & concesserint, ut Ecclesiæ utilem & conducentem ad electionem de meliori.

78 *III* Confirmo hoc: nam simili fundamento Martinus Magerus de *Advocat. armata, cap. 6. num. 574.* & alij, quos suppresso nomine refert Doctissimus P. Diana *tomo 10. tract. 7. resolut. 5.* affirmant facultatem apponendi ad portas stemmata Imperatoris ac Regum ( quibus Eminentissimi Cardinales ornant Romæ suorum Palatiorum frontispicia ) esse à summis Pontificibus concessam: ut ex inde evincant, nullum præjudicium contra supremum Pontificis dominium resultare ex clientela, p̄ talem stemmatum appositionem significata. Probant autem prædictam stemmatum appositionem à Pontificis voluntate descendere, dicendo, quòd sciens actum, quem contradicendo poterat impedire, si taceat & non impediatur, habetur pro consentiente ( quod pluribus juribus probant ) sed Pontifices vident prædicta stemmata & tacent, cum impedire possent, ergo consentiunt tali appositioni. Et concludunt dicendo sic: *Vnde regula communis est, quando geritur actus pertinens ad alicujus particularis commodum vel incommodum, & sciens illum non improbat, videtur eum tacite comprobare, secundum Bartolum leg. quo enim ff. rem ratam habet*



*haberi* : & loquitur ibi Bartolus quando actus est gestus in absentia partis , quæ postea habuit notitiam : nam si non contradicit , approbare videtur. Ergo cum Summus Pontifex hæc omnia sciat & non prohibeat , videtur illa concedere : Hæc Magerus apud Dianam . Quæ benè nostrum discursum probant & confirmant.

Sic sentio salvo meliori *Judicio* : Viglevani die 10. Februarij. 1655. Quæcunque dixi , sub correctione Sanctissimæ Matris Ecclesiæ dixi, Sapientum item ac Eruditorum, qui legerint.

*Ego Mag. Frater Gabriel Adarzo de Santander,  
ex Ordine Redemptorum S. Mariae de Mercede,  
Episcopus Viglevanensis subscripsit.*



*Epistola Authoris ad Principem interrogantem, appōita ad finem Dilectaminis.*

**H**Æc sunt, Excellentissime Princeps, quæ super his quæstionibus nec obvijs, nec tritis dicenda occurrerunt, in observantiam tui præscripti, cui parere parerat & necessitas. Oro Excellentissimam Dominationem tuam, quòd cum audiet, non satis ad causæ meritum actum esse, propriij imperij urgentiam significet, & cuncti fient defectus veniales: Trium namque noctium (geminam lucem interceptantium) pressus angustiis, negotium primò digessi, maturavi dicenda, collegi post ex Authoribus plura, repudiavi non pauca, telegi scribenda, dictavi cuncta, quæ nunc Excellentissimæ Dominationi tuæ cum reverentia destino: Valeat & vivat tua Exc. Dominatio pro votis meis ad publicam communemque salutem. Viglevani die 10. Februarij anni 1655. horâ 4. noctis, quâ opus est finitum.

*Excellent. Dominat. vestræ*

Servus addictissimus

*F. Gabriel qui supra*

IN-



INDEX

Rerum notabilium, quæ duabus  
Sectionibus hujus Dictaminis con-  
tinentur.

Sectio I.

- A**N proponenda sit *Exclusiva* à Principe seculari, ne determi-  
nata persona Petri Thronum ascendat? fol. 2.  
An expediat Principi Christiano satagere, ut ille in Ecclesia Pon-  
tificem eligatur, qui Pacem publicam promoveat? ibidem.  
Tenetur invigilare Princeps ne in Pontificem eligatur, qui Pacem  
publicam profligabit. fol. 8.  
Motiva prudentis suspicionis & timoris, cur Inthronizatus sit  
futurus adversus Pacem publicam. fol. 11.  
I. Damnum illatum Paci publicæ, nullâ facta compensati-  
one. fol. 13.  
II. Consanguinei & Affines bella gerentes in perniciem pacis pub-  
licæ. fol. 17.  
III. Animus inquietus, & deditus seminare discordias. fol. 31.  
IV. Moralem causam extitisse Bellorum. fol. 32.  
Illationes aliquot, quibus probatur licita *Exclusivæ* interpositio.  
fol. 36. & seqq.  
*Exclusiva* ab impugnationibus aliquot vindicatur. fol. 39. non  
inquinatur temeritate judicij. fol. 40. nullam facit injusti-  
tiam



## INDEX

- etiam Exclufo. fol. 44. non præfumat ingredi Electionem. fol. 49.*  
*Exclufiva honestas. fol. 52. Exclufiva est actus imperatus à charitate. ibid. Zelat Dei honorem. ibid. Exercet charitatem erga Deum. fol. 54. Oritur à charitate in Exclufum. fol. 55. Exercet charitatem erga Ecclefiam. fol. 60.*

## SECTIO II.

- An Eminentiffimi Cardinales ut Electores licitè poffint Exclufivæ favere? fol. 67.*  
*Dignus & dignior termini funt refpectivi. fol. 68. Sumuntur in ordine à Ecclefia utilitatem & indigentiam. ibid. Status Ecclefie propofitus pro dignofcendo digniore. fol. 72. Qualitates conflituentes dignum & reddentes indignum. fol. 73. Diligentia à Sacris Electoribus adhibenda ante Electionem pro obtinenda notitia fufficienti de digniore & indigno. fol. 77.*  
*Exclufiva, (fi præfentetur ab Electoribus audiri debet. fol. 78. Oftenditur ex praxi Ecclefie. fol. 88.*  
*Exclufivæ momenta, & Excludentis qualitates ponderanda funt. fol. 95.*  
*Qualitates characterifticæ Principis de Ecclefia benè merentis. fol. 78. Notæ ejuſdem. fol. 100.*  
*Motiva contradicendi ad excludendum, qualia? fol. 101.*  
*Forma Exclufivæ. fol. 100. Qui eam excipit, tenetur ei favere. fol. 102. Objectiones folutæ. ibid.*

*Acc*




## INDEX

- An Princeps, qui dat Exclusivam, sit testis singularis?* fol. 103. *an*  
*sit Testis simul ac Denuntiator?* fol. 107.
- An Exclusiva privet Ecclesiam jure providendi ei de meliore?*  
folio 112.
- An admissa Exclusiva Electio futura sit juxta Concilium Triden-*  
*tinum.* fol. 113.
- An charitativa Correctio precedere debeat de crimine in Exclusiva*  
*manifestato?* fol. 122.
- An Exclusiva à Pontificibus fuerit proscripta?* fol. 127. *videtur*  
*approbata & concessa.* fol. 131.

FINIS.



























IV TRACT  
P. 1111

Th  
4772